Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Hildebrand

Synopsis Historiae Universalis

Editio Quinta, Osterodae: Fuhrmannus, 1685

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X

Druck Freier Zugang





Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn101867070X/phys_0001
Mecklenburg
Vorpommern

~~E. S. R.~~

C G de Rieben

Nr 41

Praenotatur
Nr 1

KB NB 0260.1-2

SU
E

H
U

M. F
BRA

Histor
poris &
MDC
M

E

Sumptib

An

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn101867070X/phys_0002
Mecklenburg
Vorpommern

SYNOPSIS
HISTORIÆ
UNIVERSALIS,

Conscripta

BONO DISCENTIUM

à

M. FRIDERICO HILDEBRANDO,
Gymnas. Martisb. RECTORE,

&

Ad Annum usque M. DC. LXXXV.
continuata, emendata & Indice
aucta.

EDITIO QUINTA.

OSTERODÆ
Sumptibus BARTHOLDI FUHR-
MANNI Bibliopol. Osterod.
Anno M. DC. LXXXV.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0003
Mecklenburg Vorpommern

ÆQVO AC BENEVOLO LECTORI S.

SI cui ex animo velis factum bene, addas operam, sola cadaver est voluntas. Ita ait magnus alicubi Scaliger, cujus ego dicti rectè memor, cum ex animo factum velim bene Discentium Ordini qualemcunque hanc operam addo, qua Juventutẽ φιλισορξσαν nonnihil adjutum iri, planè confido: cùm enim Ordo lumen aliquod afferat memoriæ, dicente Tullio, præcipuas res, ab Orbe condito gestas, decem periodis complexus sum, cumprimis nomina Imperantium per illustres illas IV. Monarchias ordine recensui, & quo tem-

pore eorum quilibet floruerit, adjeci, ratus è re tore rudioris Ætatis, cum Historia Chronologiam conjungere, nec dubito, à Juventute in Scholis hærente Classicis, optimè iri collocatum tempus operamque, quod quamque eadem notitiæ tam utili tamque necessariæ parandæ, iis annis, quibus ad solidæ variæque Eruditionis obtinendas opes præparatur, impenderit. In Historia Scriptores probatos, hodieque receptos, inprimis Eximium Historiographum, Joh. Cluverum, cujus Epitomen Historiarum totius mundi doctissimi hodie viri cuivis legendam maximè commendant; in Chronologia clarissimi viri, Dn. Christophori Schraderi, Eloquentiæ Professoris in Illustri Julia longè celeberrimi, Tabulas Chronologicas secutus sum; Patriarcharum etiam, Regum & Imperatorum Nomina, memoriæ juvandæ gratia, paucis complexus sum versibus, in quibus quidem Regulas

Artis,

Artis, syllabarum quantitates & Elegantius, aliàs in versu minimè negligendas, religiosè non observavi: interdum etiam Nomina propria, studio brevitatis adductus aut lege metri coactus, mutilata numeris inclusi, cujus licentiæ, aut etiam culpæ; veniam facile ab eo me imperaturum esse spero, qui cogitaverit non alio fine scribi hæc talia, quàm ut labili Discentium memoriæ hâc viâ consulatur. Carminis veneres & vocum quantitates aliunde petendas discendasque esse, quis ignorat? Hederam alii suspendant & labores suos eruditis oculis grandi gravique stylo commendent, libelli hujus pretium à tuo solius liberali pendet judicio, Humanissime Lector, & quidem operæ fructum satis uberem cepisse mihi videbor, si judicaveris, me ingeniis rudioribus, iisque Historiæ cognoscendæ cupidis, hac, qualicunque, opellâ, nisi profuerim, prodesse tamen voluisse.

Quod ſicubi à vero, judicio tuo, aberraverim, alieno errore in errorem, ita ut ſit, inductus, veniam dabis, per eſſe difficile cogitans, in ea ſententiarum varietate, diverſitate, quam in Scriptoribus tàm Hiſtoriæ, quam Chronologiæ deprehendimus, ſemper id, quod veriſſimum eſt, ſequi, aſſequi, maximè cùm per labores & occupationes publico annexas muneri, otium non fuerit evolvendi, revolvendi ſcripta eruditiſſima, ad hanc rem facientia. Vale *Honorande Lector*, omniumque rerum fruere ſucceſſibus optatiſſimis, Scrib. *Marpurgi pr. Non. Jun. Anno 1678.*

JU-

JUVENTUTI

φιλισορέσῃ Prosperrima!

VEsana quodam perdicè, Deûm cultrix,
JANUM bifrontem Roma, pinxit ac finxit,
Paci & Duello, cœlicisque claudendis
Jussum præesse januis, recludendis.
Quis, quæso, Janus, *inquis*, ille?
VIR PRUDENS,
Qui gesta multis antè seculis novit,
Oculo futura providens catæ, mentis.
Sapit, inquit, Afri Svada Comici, quisquis,
Quæ sunt futura, prospicit, neque id tantùm,
Suos quod ante cernitur pedes cernit,
Et tu bifrontem sanior repræsentes
Janum, *Juventa*, quid tibi catenatus

Daturus olim ſpondeat Labor, Somnus
Inertis otî; quid decora ſit præmi
Latura virtus, error & ſcelus damni,
Spectes id unà fronte; at altera, primo
Quid ab orbis ortu perditæ genus ſtirpis,
Terräi Alumnus geſſerit ſub his Aſtris
Cum laude, fraude; quique, quoque ſucceſſu
Regnorum habenas inclutus Gubernantûm
Tractârit ordo, quod vides, brevi, Pubes,
Bibere aure quidvis ſveta, noſſe quod laudi eſt,
Doceo tabella paginaque, quam, quæſo,
Oculo ſagaci, me ſecuta, perluſtra
Memorique mecum mente patriarcharum,

Pie-

Pietate clarum nobili Ordinem vi-
se,
Horum Nepotes, æmuli Caini-
tûm,
Sceleri nefando dum litant, Deo
sprero,
Operti aquarum molibus luunt
pœnas,
Diras relatu, totque millibus mer-
sis
Servatur unus prole cum suâ
Noah,
Superi favore Numinis, *Deo fre-*
to
Arca est Asylum. At impii Genus
Chami
Demente fastu denuò Creato-
ris
Accendit iras, Arcis arduæ Turri
Cœlo minatum, turgidique cona-
tus
Mixtura pœna est, dura pœna, Lin-
gvarum,
Hinc condit Urbem Filius potens
Semi

Chamique ademta posteris rapit sceptra
ASSUR, Monarcha primus ille, quem Belum
Dixit Deumque fecit error insanus.
Idola liquit patria Abraham, cœlo
Jubente, eoque natus Isaac Patre,
Pater Jacobi, ter quaterna quem proles
Fecit Parentem. Maximus Prophetarum
Hac stirpe Moses editus, suæ genti
Per tesqua ad Arces ille Dux Palæstinas.
Hinc floruêre Judicesque Regesque
Et in his Davides, Sanctitatis exemplum,
Sapientiæque singulare Miraclum,
Salomo, sed orbis illa pestis ac natrix,

Quæ

Quæ, *quæris*, illa sit? Lubido peccandi
Ligneosque saxeosque adorandi
Stultè Deastros, Israëlis hæc gentem,
Pepulit beatis finibus Palæstinæ,
Sceptro hæc ademto, colla libera invisis
Dedit catenis, inde prodiit Schiloh,
Jessæa Virga, gentiumque Patrumque
Spes, Votum, Asylum, venit ille Venturus,
Venit Redemtor unus omnium, JESUS,
Quo vita solo, quo salus sub hoc Cœlo
Auras trahentum nititur. Quod ad Sceptra,
Quæ turba gessit purpurata Regnantûm
Brevi hac Tabella, ceu vides, Camænarum

Tibi in Palæstra Palludosque Tironi,
Seriem Regentum trado, tu lege, & lecta
Alta repone mente, mente si sanâ es.
Age sic, Juventa, dice collocatura
Cum fructu opellam, tumque, suxplicans mecum
Regum supremo, ut Imperantium terræ
Servet colonis ordinem, inque bis: Vivat
LEOPOLDUS, Heros, Imperator, Augustus,
Augusta nactus, Imperique subvertat
Stantem Columnam nulla vis, dolus nullus,
Salus coronet orbis incolas, voti
Europa compos usque floreat pace

Aqui-

Aquilæque cedat Luna, Acinaces ferro,
Quod Christiana dextra stringet in Thracem.
Calamum laboris excutit manu moles,
Memorem monere desino, imperat Clio
Litare Mutæ, pareo lubens. Salve
Valeque, Pubes, terque & amplius felix.

Προλεγόμενα

Cùm notia temporis, quo floruerint, quibus de sermo est, quoque res, quæ narratur, gesta sit, cum Historiæ cognitione conjungenda sit, antequam ad ipsam Historiæ telam pertexendam accedam, in gratiam rudiorum oppido paucos terminos Chronologicos lubet exponere.

Chronologia est Disciplina demonstrans, quo tempore res quælibat, in Historiis narrata, evenerit,

vel est Notatio temporis rerum gestarum memoria illustrati.

Chronologiæ partes à nonnullis constituuntur duæ. Prior est *Chronographia*, quæ intervalla temporum sive Epochas examinat ac demonstrat. Posterior *Canonica*, quæ, quid per illa temporum intervalla singulis annis gestum sit, exponit.

Epocha est certum temporis intervallum ab Æris incipiens ad certam usque & insignem rerum mutationem perductum e. g. Epocha prima dicitur intervallum illud temporis, quod fuit inter Adamam & Diluvium, altera à diluvio usque ad nativitatem Abrahæ, &c.

Æra est initium temporis, à quo annorum supputationes incipiunt. Ab Hispanis ea vox originem traxisse putatur: Augusto enim imperante illi ita scribebant: acta hæc sunt e. g. Toleti, Calend. Martii A. ER. A.

Cl.

CL. id est, annos erat Augusti 150. quibus è literis tabelliones imperiti unam fecerunt vocem & legerunt Æra; quanquam alii ab Arabica voce *arach* i. e. supputare, eandem deducere malunt. Calvisius in opere suo Chronol. neutrum plurale æra posterius seculum in femininum mutâsse autumat, quàm tamen opinionem pauci sequuntur.

Æra multiplex notanda. 1. *Æra Mundi conditi.* Mundi omniumque rerum originem alii cum Scaligero ad Æquinoctium Autumnale, alii ad Vernale referunt.

2. *Æra Olympiadum.* Olympici ludi ad Olymplam, Urbem in Elide quinto quoque anno habiti sunt, ab Hercule, ut volunt, instituti. Quælibet Olympias quatuor annos continet ejusque Æræ initium incidit in A. M. 4174.

3. *Æra Romæ conditæ* An. M. 3197.

4. Æra

4. *Æra Christiana.* Christus natus est *An.* M. 3947. vel juxta alios 3950. Vocatur Dionysiana à Dionysio Exiguo, *Abbate* Romano, qui floruit tempore Justiniani Imp. circa A. C. 527. Scaliger & alii annotant hanc æram Dionysianam biennio minorem esse, ita, ut annus currens Dionysianus 1685. sit verus 1687.

5. *Æra Turcica vel Hegira* i. fugæ, à fugâ Mahumedis Pseudoprophetæ, ea incipit ab A. C. 622.

Annus multiplex est: est enim Communis vel Mysticus.

Communis vel *Cœlestis est*, vel *Politicus*; *ille* est mensura motus cujusdam sideris à dato cœli puncto ad idem punctum, hic spatium temporis certum & determinatum, quod cum anno cœlesti non semper exactè consentit, ut annus *Athenienſis*, *Romanus*.

Annus cœlestis vel est *Solaris*, dierum 365. & horarum quinque cum dimid. vel *Lunaris* dierum 354.

My-

Mysticus annus vel est *Sabbathicus*, nempe septimus quisque annus apud Judæos, vel *Jubilæus*, scil. annus 49.

Annus bis sextus aut *bis sextilis* quartus quisque annus, cui dies inseritur vel intercalatur, unde dictus Intercalaris, iisque est 24. Februarii.

Anni Climacterici, Stuffen-Jahre/ sunt anni ex septenariis & novenariis numeris collecti. Annus LXIII. *Climactericus* magnus dicitur, principibus Viris vulgi opinione gravis & fatalis.

Epactæ dicebantur undecim dies, qui annis lunaribus addebantur, ut Solaribus adæquarentur.

Annus magnus sive *Platonicus* spatium continere dicitur annorum 49000. cum omnia sidera ad eandem locum, ut ajunt, redibunt. Plura petantur à Scaligero, Setho Calvisio, Helvico, & aliis Chronologis. Vid. Tob. Wagneri Instit. Histor. l. 1. Sed ad rem.

SYNO-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0019
Mecklenburg Vorpommern

SYNOPSIS HISTORIÆ UNIVERSALIS,

Seu

Ordo rerum à Mundo condito gestarum, decem Periodis comprehensis

Periodus I.

A condito Mundo usque ad Assurem, Conditorem I. Monarchiæ ad A. M. 1843.

I.

POsteaquam Deus, omnium rerum Conditor, ea quæ condita sunt, sex dierum intervallo condidit (opera sex dierum his versibus complectimur:

Prima dies lucem profert, Cœlum
Altera, Terram
Tertia

Tertia cum plantis Fulgentia sidera Quarta.
Quinta greges varios volucrûm simul atque natantum,
Sexta animal quodvis Hominemque. Hic imperat Orbi.)

Universi complementum, hominem ultimò è gleba terræ rubræ, à qua & *Adam* ille dictus est, formavit, eique imperium in reliquas res creatas concessit, qui Satanæ captus insidiis, fructum vetitæ Arboris decerpendo, à Deo, Creatore suo turpissimè defecit eaque propter unâ cum Uxore sua *Heva*, viventium Matre, Parapiso ejectus est; & Imagine Dei lapsu amissa, Exul infelicissimus ad imaginem suam generavit filios: *Cainum*, *Abelem*, *Sethum*, Primus itaque mortalium *Adamus* fuit, rectèque explosa & refutata est palàm absurda illa de *Praadamitis* opinio *Isaaci Peirerii*, qui & ipse, vero victus, palinodiam cecinit.

2. *Caius*

2. §. *Cainus* invidiæ agitatus furiis, Abelem Fratrem ob simplicem sucique expertem pietatem Deo suo
A. M. 100. chariorem, interemit A. M. 100. hinc profugus ad orientales plagas concessit, & feram & agrestem vitam amplexus, hominum genus propagavit sui simillimum Urbemque condidit
150. A. M. 150. cui nomen fecit Primogeniti sui filii *Hanochi*.

3. Apud Cainæos majora indies incrementa capit impietas, & *Lamechus*, Caini abnepos, auctore est bigamiæ. Ejus impia progenies *Jabal* rationem multiplicandorum pecorum mortalibus monstrat. *Jubal* Musicam invenit organicam, & animalium cornibus & intestinis uti docet ad lætitiam & ad bella. *Tubalcain* artem invenit ferrariam & ærariam, gentilium Vulcanus, ut Jubal Apollo: nam eadem Deorum gentilium nomina pluribus esse indita pa-
600. lam est. A. M. 600.

4. Impietate indies serpente latius,

ùs, latissimè Cainæis dominantibus, in Sethi familia purior Ecclesia cum Pietate conservata propugnataque est. A *Setho*, nascentis Ecclesiæ Capite, descendunt Patriarchæ sanctissimi, quorum nomina fuere unà cum primo omnium parente:

Adam. Sethus. Enos. Kainan. Mahalalel. Jared.

Henoch. Mathusalem. Lamechus. Is ordine nonus.

Ex his *Henochus* vitam agens inculpatam, vivus ad superos translatus est An. M. 987. à Patribus dictus *Æternitatis Candidatus.* 987

5. Centum & viginti annis elapsis, quos sacrilegis hominum generibus ad resipiscentiam Deus concesserat, horribili mundi exitio imminente, *Noachus*, Lamechi filius, Justitiæ Præco, ingentem arcam, Dei jussu, exstruit eamque ingreditur. A. M. 1656. 1656 atque ita omnibus animantium generibus, in sicco viventium, undarum molibus ob scelera hominum opertis

tis obrutisque, unà cum suis servatur & paucis unà ingressis arcam animalium paribus. Aquis decrescentibus Arca in montibus Armeniæ Gordyæis consedit. *Sethum* ferunt futuræ cladis conscium, duabus columnis, lateritiæ uni, alteri lapideæ rerum cælestium scientiam inscripsisse, at incerta dubiaque fide. Equidem *Josephus* lapideam ævo suo in Syria superfuisse memorat, at incredibili audaciæ vel futili credulitati id tribuit *Cl. Hornius in appendice Partis III. Orb. Politici p. m.* 432. Poëtis ethnicis, veræ Historiæ ignaris, *Noachus* videtur fuisse *Bacchus*, vitium sator, item *Janus* ille bifrons, qui mundum vidit priorem & posteriorem.

6. *Noacho* tres fuêre Filii, *Japhetus*, *Semus*, *Chamus*. Ab his tribus ortæ propagatæque sunt gentes toto orbe dispersæ. *Japheto* cessit Europa cum Parte Asiæ, *Semo* reliqua Asia, *Chamo*, Africa Americam occupâsse videntur populi Asiatici, qui

per

per fretum *Anian*, si qupd ibi fretum sit, quo de sunt, qui dubitant, eò trajecerunt, è nostro quidem orbe Americanos originem trahere certum est, at incertum, qua via eò pervenerint. *Vid. Georg. Hornii Orb. Imperans p. m.* 481. A Japheto qui descenderunt Principes, præcipuè hi fuêre *Gomer*, Cimbrorum Pater, *Ascenas* Germanorum (Aventinus *Tuisconem* Noachi filium, anno 131. post diluvium à Patre missum in Europam venisse memorat cum viginti Ducibus) *Cittim*, Macedonum, *Magog*, Scytharum. E Semi posteris fuêre *Aram*, à quo Syri. *Assur*, à quo Assyrii, *Elam*, à quo Persæ, *Heber*, à quo Hebræi trahunt originem. *Chamitæ* fuêre Canaan, unde Cananæi dicti. *Mizraim*, à quo Ægypti, *Chus*, à quo Æthiopes. *Saba*, unde Arabes descendunt, ab eo dicti Sabæi. Aliàs quæ de primæva gentium origine apud profanos Scriptores leguntur, tam fabulosa sunt, obscura, dubia, ut inde certi aliquid colligere & affirmare vix liceat.

7. *Nim-*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0025
Mecklenburg Vorpommern

7. *Nimrodus*, Chami nepos, Venator potens, Dominatum in Fratres primus affectans, prima Tyrannidis fundamenta jacit suisque auctor est condendæ urbis maximæ utriusque stupendæ altitudinis, cujus insolentiæ ultore Deo, Lingua una in duas & septuaginta (tot fuisse familiæ perhibentur) dividitur A. M. 1758. Urbi à Linguarum Operisque confusione nomen inditum *Babel*, Latinis *Babylon*, Urbs diu potens ac populosa, è cujus ruinis haud procul ad Tigrim fluvium condita Urbs *Bagdad*, nunc *Babylon* à vulgo dicitur, Lingua, quæ communis antea fuerat, in *Heberi*, qui Semi erat pronepos, posteris hæsit. Nata hinc videtur fabula de Gigantibus γιγαντόμαχοις, quos Poëtæ fabulantur montes congessisse, cœlum ipsum ausos appugnare. Virgil. l. 1. Georg. & Ovid. l. 1. Met. ita & Herod. l. 1. Templum Beli describens, in ejus; ait, medio turrim fuisse stadia altitudine, cui alia superimposita fuerit turris

1758

ris & huic subinde alia ad octavam usque.

8. Lingvis confusis, sparsisque per orbem terrarum gentibus *Assur*, Assyrii Regni conditor, Semi progenies Chami posteros in Oriente haut passus dominari *Niniven* aliasque prægrandes condit Urbes, ob potentiam *Bel* seu *Baal* Dominus, & postea *Moloch*, Rex dictus, qui post excessum pro Deo habitus, primam Idololatriæ occasionem præbet. Floret *Assur*, A.M. 1843. Idem juxta nonnullos Gentilium *Saturnus* fuit, *Ninus Jupiter*. Ex eo certè tempore idolomania in dies majora cepit incrementa, cujus insaniæ contagio cum etiam *Tharam*, Abrahami Patrem invasisset, DEUS eundem Ure Chaldæorum excedere jussit.

Periodus II.

Ab Assure usque ad Sardanapalum.

Ab A. M. 1843 *ad An.* 3077.

Ninus

Ninus, Assuris sive Beli Filius, latissimè arma circumfert victricia An. Mund. 1908. unde ab hujus Imperio primæ Monarchiæ vulgò initium faciunt scriptores, quanquam antiquissimos illos Assyriorum & Babyloniorum Principes multò angustiùs, quàm communi errore putatur, regnâsse, ex historia tàm sacra, quàm profana patet, unde & *Nebucatnezarem* illum, cujus è sacris nomen notissimum est, *primum* Asiæ *Imperatorem* & *Monarcham Assyriorum* alii faciunt. Bellum *Belus* gessisse dicitur cum *Zoroastre*, Bactrianorum Rege, qui primus Artes Magicas invenisse & cœli siderumque motus diligentissimè observâsse dicitur. Hoc victo cæsoque, & ipse Ninus decessit, relicto Filio impubere *Nina*, seu *Ni-*

no

no juniore cum Uxore Semiramide Ad hæc tempora refertur *Ægialeus* ille, qui primus Sicyoniis imperavit, (*Sicyon* Urbs vetustissima fuit in Achaja, Peloponnesi regione) Ægypti Rex fuit *Vexoris* & Scythiæ *Tanais*, quorum meminit Justinus lib. 1. cap. 1. A *Trebeta*, Nini Filio, *Augusta Trevirorum* putatur condita A.M. 1943. triginta post annis *Tigurum*. 1943.

2. *Semiramis*, Heroici Regina animi, sexum mentita, marito nefariè interfecto, Regnum loco Filii obtinet A.M. 1958. decem ante annis A.M. 1948. ex *Thara* nascitur *Abram*, Pater altitudinis, postea *Abraham*, Pater multitudinis, à Deo dictus. *Semiramis* res gerit maximas, *Babylona* magnificentissimè munit, hortos in ea extruit pensiles, *Æthiopiam* imperio adjicit, *Indis* bellum facit, tandem à Filio *Nino juniore* ob libidinem interficitur. Multa huic *Semiramidi* falsa & fabulosa tribui certo certius est, atquod *Cl. Hornius* Ninum *Nebucad-* 1589.

nezarem, Semiramidem verò, *Nitocridem*, ejus nurum fuisse autumat, id erudito Lectori non facilè persvaserit. *Vid. ejus Orb. Polit. p. m.* 309. unà cum adjectis Animadversionibus *Excell. Dn. L. Menckenii.*

3. *Ninus Junior*, armorum abjecto studio, voluptati otioque se dedit. A. 2000 M. 2060. cujus vestigia plerique Successorum persecuti, Reges fuêre nomine, re libidinum voluptatumque mancipia. Quorundam eorum nomina resque gestas è *Berofo*, cujus tamen auctoritas fidesque apud Eruditos dubia & suspecta est, recenset I. *Sleidanus* de IV. Imperiis l. 1. p. m. 11. & seqq. quem vide. Germanorum Regnum cœpisse putatur A. M. 1812. *Ingavon*, *Tuisconis*, ut nonnul-
2030 li volunt, Filius floruit A. M. 2030. ei successit Filius *Iſkæven*, Isaaco σύγχρονος A. M. 2075. ejus Uxor fuit Freya, Germanorum Venus, à qua dies Veneris putatur dictus der Freytag. Iſkævoni *Hermion*, A. M. 2125.

Ab

Ab his Regibus antiquissimi Germaniæ populi dicti sunt *Ingevones Istævones*, *&c.* Vid. Phil. Cluverius l. 3. Geogr. cap. 2. Hermioni successit *Marsus* Fil. A. M. 2188. à quo Dithmarsi appellati ejusque comes *Danus*, qui Danorum Conditor fuisse perhibetur. Marso *Cambrivius* A. M. 2234. huic *Suevus*, Svevo *Vandalus*, Rex Germaniæ A. M. 2326 cui successit *Teuto* A. M. 2367 hinc *Aleman*, Germanorum Hercules A. M. 2394. fuisse huic dicuntur quatuor Filii, qui magnis populis fecêre nomina. 1. *Bojus.* 2. *Noricus.* 3. *Hunnus.* 4. *Helvetius.* Vid. Theatr. Historicum Helvici. *Argivorum Regnum* initium cepit A. M. 2093. primus Regum fuit *Inachus*, cujus filia fuit *Io*, posteà *Isis* dicta à Jove, ut est in fabulis, dilecta. Hæc *Isis* Ægypti Regi, *Osiridi*, qui alio nomine *Serapis* & *Apis* dictus est, nupta, frugum, ut volunt, inventrix fuit, quam proinde superstitiosa Ægyptus religiosissi-

mè coluit, uti & *Osiris*, qui agriculturam mortales aliasque artes docuisse traditur, pro Deo cultus est sub forma bovis, qui nomen fuit *Apis*, *Inacho* successit *Phoroneus* Fil. ex Niobe An. M. 2143 qui leges & judicia primus in Græcia constituisse perhibetur.

4. *Abraham* divino jussu ex *Haran* urbe Mesopotamiæ, quæ apud gentiles Scriptores sunt *Carræ*, clade Romanis à Parthis illata, *Crasso* cæso & universo deleto exercitu, nobiles, migrat in Palæstinam A. M. 2024. non multò post exòrta fame in Ægyptum descendit venitque ad Pharaonem, qui ipse *Osiris* fuisse putatur: (nam Pharaonis nomen non personæ, sed officii) hoc Magistro, verus Deus Ægyptiis innotuit, qui arithmeticam etiam & astronomiam eodem Doctore acceperunt, quas deinde disciplinas Pythagoras, Thales, alii ab Ægyptiis edocti, in varias terras propagarunt. Abrahamo quasi fidus Achates comes ad-

adhæsit *Loth*, ex quo nati *Ammonitæ* & *Moabitæ*, Hebræi nominis æterni hostes. Educto cum Suis Lotho, *Sodoma* & *Gomorra* ob infanda scelera imbre sulphureo consumta An. M. 2048. iræ divinæ sempiternum præbent monumentum. Hodie hic visitur *lacus Asphaltites* seu *mare mortuum*, tam tetrum exhalans spiritum, ut neque aër avem, neque valles vicinæ fructum ferant, *Abrahamo* filius fuit ex *Hagar* ancilla *Ismaël*, cujus posteri *Hagareni* à matre dicti, dici maluerunt Saraceni, à *Sara* Uxore *Abrahami*. Ita quidem *Isidorus*, at verius ita dicti sunt, vel à *Saraca*, regione Arabiæ finitima Nabattæis, vel potius à *Sarak*, evacuare, Arob. *furari*, quæ etymologia moribus eorum pulchrè convenit. *Vid. Lex. Philolog. Matth. Martinii.* Ex *Sara Isaac*, ex *Ketura* varii suscepti liberi, à quibus orti putantur *Brachmanes*, Indorum Philosophi. 2048

5. *Isaac* paternæ *Pietatis* ex asse
2100. hæres & æmulus floret A. M. 2100.
ei ex Rebecca Uxore nascuntur *Jacob* & *Esau*, qui & *Seir* & *Edom* dictus. A. M. 2109. Fratres gemini malè concordes. Esavi Posteri Idumæam occupârunt, infensi semper invisique Israëlitis.

9. *Jacob*, dictus ab Angelo *Israël*, eò, quod DEO in lucta prævaluisset, urgente fame cum familia sua descendit in Ægyptum, invitatus à filio *Josepho*, Prorege à Pharaone, Amasim quem vocat Eusebius, constituto A.
2238. M. 2238. Hic *Josephus* nonnullis fuisse videtur Ægyptiorum *Hermes Trismegistus*, cui omnem sapientiam Ægyptus debuit, ejusque sectatores hodieque appellantur *Hermetici*. *Jobum* etiam hoc ævo floruisse, sunt, qui existimant. Eundem alii de prosapia Esavi fuisse autumant & appellari Regem *Jobab* Gen. 36. 34. alii genus ejus à Nachor, Abrahami fratre, deducunt. Liber Jobi à Mose scriptus putatur,

tur. Ad hoc seculum refertur *Argus* ille, qui Argos condidit, ob perspicaciam dictus centoculus, item *Prometheus*, qui, cum homines à ferino ad humanum cultum revocâsset, homines fecisse fingitur & *Atlas* ob cœli siderumque scientiam cœlum ipsum humeris sustinere creditus. In Græcia Idololatria propagata est, florentibus *Jovis* (Joves plurimi fuêre apud Gentiles) filiis *Apolline*, *Marte*, *Vulcano*, quam tam fœdam Idololatriam novo Deus diluvio vindicavit, quo, in sola quidem Græcia, plurimi mortalium absorpti sunt sub *Ogyge*, Rege vel Atticæ, vel Bœotiæ A. M. 2155.

7. Israëlitæ exeunt Ægypto, durissimæ domo servitutis, Duce Mose A.M. 2453. *Moses* natus A.M. 2373 ex 2453
Amramo, Jacobi pronepote, aquis extractus à Filia Regis, *Thermuti seu Meride*, literis artibusque Ægyptiis imbutus est, hinc cum Ægiptium Virum ob illatam Israëlitæ injuriam

occidisset, periculum declinaturus, ad Arabes profugit, & ætatis anno octogesimo ad Pharaonem R. quem *Bocchorin* nonnulli, alii cum Eusebio *Cenchrim*; nominant, missus, eundem obstinatè stolidum decem plagis, his versibus comprehensis:

Sanguis. Rana. Culex. tum *Reptile.*
Pestis & Vlcus.
Grando, cum *Brucho.* tum *Tenebræ. Moritur.*

Israëliticum populum dimittere coegit, quem ille persequi ausus, unà cum copiis suis maris rubri fluctibus mersus est. Vid. Exod. Paulò ante *Teucer* in Troade regnavit A.M. 2430. Cui successit *Dardanus.* Ante hunc *Cecrops* Rex Athenienſium, qui Jovi primus aram erexit & Areopagi judicium constituit, floruit A. M. 2394. quanquam quæ de hoc *Cecrope* aliisque Regibus Argivorum, Sicyoniorum &c. referuntur, & quicquid Olympiadum initia superat, ad Poëtica commenta refert *Cl. Hornius Orb. Poli-*

tici-

litici p. m. 439. Deucalionis Diluvium incidit in A. M. 2419. in eo solum 2419
Deucalionem cum *Pyrrha* Uxore sua, qui in parnassi verticem, rate vecti, confugerant, servatum jactuque lapidum genus humanum reparatum esse fabulatur Ovid. l. 1. Met. f. 7.

8. Mosi succedit Josua A. M. 2493. 2493
typos Christi, Ducis in cœlestem patriam. *Danaus*, Argivorum *Rex* vixit A. M. 2475. cujus quinquaginta filiæ totidem Filios Ægypti Fratris, solo Lynceo evadente, beneficio Hypermnestræ, interfecerunt, ob id damnatæ apud inferos ad hauriendas aquas vase pertuso. Vid. Hor. od. 11. l. 3. Carm. Circa hæc tempora *Cadmus*, Agenoris filius, Thebarum Conditor, Europam sororem à Jove raptam quærens, è Phœnicia in Græciam intulit literas, ea propter *Cadmigenellas filias* à Poëta dictas. Josuæ successit *Othoniel* AN. M. 2510. ejus 2510
temporibus regnavit Athenis *Pandion*, cujus filiæ fuêre *Progne* & *Philome-*

la

la è Poëtis notæ, & *Minos* in Creta, quem superstitio gentilis judicem apud inferos constituit, Assessoribus datis *Æaco* & *Rhadamantho*. *Busiris* verò in hospites sævus Ægypto præfuit. Virg. l. 3. Georg.

--- Quis aut Eurystea dururum
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

2551. Cum *Ehud* A.M. 2551. *Debora* & *Barack* A.M. 2631. apud Israëlitas floruerunt, regnavit post *Erichthonium*, Dardani filium, *Tros* A.M. 2582. ejusque
2631 filius *Ilus* A.M. 2631. ab illo *Troja* Urbs dicta, ab hoc *Ilium*, quæ olim fuit Dardania. *Tantalus*, Phrygiæ Rex A.M. 2585. quem Poëtæ fingunt ob incontinentiam lingvæ aut insolentiam apud inferos in aquis stantem sitire, alii saxum cervicibus impendere, jamjam ruiturum, ejus filius *Pelops* eam Græciæ partem occupavit, quæ ab eo dicta Peloponnesus A.M. 2600. Hujus Pelopis fuêre filii *Atreus* & *Thyestes*, quorum ille huic ob fœdatum adulterio thalamum Filios e-

pulau-

pulandos apposuit. Vid. Sen. in Thyest. *Perseus*, Acrisii, Argiv. Regis ex Danae fil. nepos, hoc tempore floruit & *Bellerophon*, nota è Poëtis nomina. *Janus* in Latio regnavit A. M. 2625. unà cum *Saturno*, qui regno à Jove pulsus in Italiam venit Italosque agriculturam docuit. Saturno successit *Faunus*, huic *Picus*, qui *Evandrum* ex Arcadia profugum hospitio excepit A. M. 2700. Pico *Latinus*.

9. *Gideon* res gerit A. M. 2671. Anno 2671
præcedente *Laomedon* R. Troj. ab Hercule occiditur, In hæc tempora incidit celebris illa Argonautarum, *Argo* navi vectorum, ad Colchos, aureum vellus petitum, Expeditio, cujus fuêre Duces *Jason*, *Hercules*, *Castor*, *Pollux*, *Telamon*, *Orpheus* & complures alii. Item fabula de raptu *Proserpina*, de *Thesei* ad inferos descensu cum *Pirithoo*, de *Sphinge* & *Oedipo*, Laji filio, Thebanorum Rege. Ultima Gideonis ætate putatur condita *Ty-*

rus, Poëtæ dicto; prima ratam ventis docta credere.

10. *Abimelech* principatum invasit
2710. An. M. 2710. secutus eum *Thola* A. M. 2713. hunc *Jair* A. M. 2756 *Jephte* Vir strenuus An. M. 2758 *Abessan.* Ann. Mund. 2765. *Elon.* 2772. *Abdom.* 2781.
2789. quem excepit A. M. 2789. *Samson*, stupendi Heros roboris. Hoc seculo bellum Trojanum ortum, cujus causa fuit *Helena*, Menelai Uxor pulcherrima, à *Paride*, Priami filio rapta. Troja Urbs diu potens, decennali obsidione capta à Græcis & eversa funditus est, *Priamo* Rege ultimo cum omni familia cæso Ann. Mund. 2767. (*Dion Chrisostomus*, Trojam à Græcis nec captam, nec eversam esse probare nititur in Orat. de Ilio non capto, quem vide) Profugus *Æneas*, multum & terris jactatus & alto, tandem in Italiam venit, *Laviniam*, Latini Regis filiam, ambit eaque, *Turno* æmulo occiso, unà cum regno potitur, in Regno ei succedit *Ascanius* Fil. A. M. 2781. huic

Æneas

Æneas Sylvius, ex Lavinia natus. Eod. pœne tempore *Antenor*, Trojanus, Henetos in Illyricum deducit, qui condunt *Patavium*. Mycenis regnat *Oreſtes* A. M. 2775. quicædem Patris Agamemnonis ulturus, Ægyſthum cum matre Clytæmneſtra occidit, ob eam cædem furiis diu multumq; agitatus.

11. *Samſonem* excepit in populo Judaico *Eli* Sacerdos Ann. M. 2809. & 2809
hunc *Samuel* Ann. mund. 2849. Judi- 2849
cum ultimus. Germanorum his temporibus Rex fuiſſe dicitur *Wolfhem Sickinger*, cui ſucceſſere tres Filii: *Kels*, *Gal* & *Hyllir*, à quibus dicti ſunt *Celtæ*, *Galli* & *Illyrii*. Populo Judaico Regem obſtinatè poſcente, Regum primus *Saul*, loco haut illuſtri natus, aſinam quærens, Regnum invenit Anno Mund. 2879. ei ob impieta- 2879
tem rejecto ſuccedit *David* Gener, pietate Rex & armis inſignis An. mund 2889. Athenis regnavit *Codrus* 2889
Ann. mund. 2881. non timidus pro patria mori; nam cum Peloponnenſes

bellum

bellum facerent Athenienſibus & ipſe oraculo cognoviſſet victoriam ejus fore populi, cujus Rex interiiſſet, ipſe mendici ſumto habitu, ultrò hoſtium ingreſſus caſtra, in ſuam eos necem jurgiis provocavit. Regum hic ultimus fuit Remque publicam ex eo tempore adminiſtrarunt *Archontes* Διὰ βίε, ſeu perpetui, quorum fuit primus *Medon*, Codri Filius. *Iones*, Davide regnante, Aſiæ oram maritimam multaſque Inſulas maris Ægêi occuparunt, exemplum eorum paulò pòſt ſecuti *Æolii* & *Dores*.

12. *Salomo*, Davide Patre ad meliorem vitam vocato, Regnum capeſſit
2929 Ann. M. 2929. eiq; ſapientiſſimo & feliciſſimo Filius ſuccedit & infelix, &
2969 inſipiens *Roboamus* Ann. Mund. 2969. qui cum ſupplicem populum, juniorum ſuaſu conſultorum, duriore reſponſo offendiſſet, orta ſeditione, Regnum in duas partes ſciſſum eſt & decem ab eo Tribus defecerunt,

cerunt, Rege sibi constituto Jeroboamo, solis ipse Judæis & Benjamitis imperavit, quam discordiam ingens malorum est illas consecuta; non multo enim post *Sisacus* vel *Sesostris*, Ægypti Rex celeberrimus, qui devictos Reges currui, quo vectus est, junxit, Templum Hierosolymitanum diripuit. Sapientiæ aliàs studia, cumque Prophetarum, tum Poëtarum Scholæ hoc seculo maximè floruisse videntur; in illis fuêre *Gad*, *Nathan*, *Assaph*. in his *Homerus*, Poëtarum ille Pater, in quo doctissimi Viri, quod carpant, vix reperiunt, nisi quod humana ad Deos transtulit, iisque flagitia attribuere non est veritus, hinc *Cic. l.* 1. *Tusc. quæst.* Humana ad Deos *Homerus* transferebat, divina malem ad nos.

13. Regum Juda & Israël nomina, resque gestas narrare nimis longum foret, nota ea sunt, esse certè debent, è Sacris. Plerique Idolomaniæ addicti, vero Deo deserto, sibi suisque Re-

Regnis mala attraxêre plurima, maxima. Pietatis laude claruit Judæos
3030 inter Reges *Josaphat* Ann. Mund 3030, quo tempore infamis impietate maximè furit Israëlitarum Rex *Achabus* cum *Jesabele*, Uxore impia, cui divino actus zelo *Elias* Thesbita, Propheta DEI, masculè se se opponit, dum *Eliseo* successore spectante, quadrigis igneis sublimis in cœlum evolat. *Dido* fugiens insidias fratris sui *Pygmalionis*, qui auri sacra impulsus fame maritum ipsius *Sichæum* occiderat: opibus suis secum ablatis, Africam petit conditque Carthaginem Ann. Mund. 3067. *Lycurgus* his temporibus floret, Spartanis, popularibus suis, severissimarum Legum & durissimæ auctor Disciplinæ, cujus institutis Sparta dum paruit, felicissimè floruit; iisdem verò mutatis neglectisque, labefactata tandemque deleta est.

14. Ultimus Regum Assyriorum à Nino descendentium fuit *Tonoscon-*

colerus,

colerus, à Græcis dictus *Sardanapalus*, Vir fœminâ corruptior, quem cum *Arbaces* (scribunt alii *Arbactus*) Medorum, & *Belochus*, *Belesis* aut *Belesus* aliis, Babyloniæ Præfectus, scortorum inter greges considentem & purpuram colo nentem offendissent, indignati se Viros subesse fœminæ, bellum ei intulerunt trepidumque ad tantas redegerunt angustias, ut, rebus desperatis, se suasque divitias in incendium miserit Ann. Mund 3077307 hoc solo imitatus Virum, ut ait Justinus l. 1. Monumento Sardanapali hæc verba fuisse incisa ferunt; *Tu, Hospes, ede, bibe, lude: nam cætera humana ne tanti quidem sunt.* Quid aliud in bovis, inquit Aristoteles, sepulchro scriberes? (a) Regno ad Medos translato, Regum primus fuit is, quem dixi, *Arbaces*, aquo nonus & ultimus fuit *Astyages*, de quo multa leguntur apud Justin. l. 1. & Herodot. l. 1. quem *Cyrus*, ex *Mandane* filia & *Cambyse* Persa natus, devicit. Eodem tem-

tempore Albæ Rex in Latio fuit *Aventinus Sylvius* (Sylvii cognomen commune fuit omnibus ab Ascanio usque ad Romulum Albæ Regibus,) qui tonitrua imitatus, hiatu terræ cum toto palatio absorptus esse dicitur.

Periodus III.

A Sardanapalo usque ad Cyrum.

ab
A. M. 3077. *ad A. M.*
3400.

1. *Arbaces & Belochus*, ita partiti sunt Imperium, ut ille Medis, hic Assyriis imperaret. Ad hæc tempora refertur *Hesiodus*. Albæ Rex fuit *Amulius*, Ann. Mund. 3143. qui, excluso *Numitore* Fratre, Regnum invasit, &, stirpe Fratris virili interemta, Filiam Numitoris *Rheam Sylviam*, quam & *Iliam* vocant, Virginem Vestalem facit.

3138. 2. *Usia* Rege Judæ Ann. M. 3138. Prophetæ florent *Hoseas*, *Ioel*, *Amos*, *Ionas*,

Jonas, *Esaias*, divinis illustres scriptis. Israëlis *Regem* crudelem *Menachem* vectigalem sibi facit *Phul Belochus*, Assyriorum *Rex* Ann. Mun. 3176. *Caranus*, unus de posteris Herculis, in Macedoniam, dictam antea Æmathiam, venit, *Regni* fundator Macedonici Ann. Mund. 3137. Hoc seculo *Olympia*, ludi quinto quoq; anno habiti, ab Hercule instituta, ab Iphito sunt instaurata, unde æra Olympiadum & Iphiti nata. *Matth. Mart. in Lex. Phil. Olympica certamina* quarto quoque anno esse celebrata memorat cumque Cælius Grammat. scribit: *quinto finito anno*, agon *olympicus* fiebat, legendum putat *quarto*. In ejus locum successit *Romanorum Lustrum*. *Romulus* & *Remus* fratres ex Ilia, Virgine Vestali & Marte, ut volunt fabulæ, nati & expositi, â fera, vel potius muliere lupa nutriti, Numitore Avo in regnum reducto, *Romam* urbem condiderunt Ann. Mund. 3197. quandam Servius in Ecl. 1. *Romam*

ante

ante Romulum fuisse perhibet. *Romulus* cæso Fratre Remo, ut omnis potestas ei consortis impatiens, solus imperat, populis finitimis vel pacatis, vel subactis Rempublicam constituit &, erecto Asylo, colligit ingentem hominum multitudinem, vel culpa sua, vel aliena injuria exulum.

3. *Achas*, Judæ Rex impius ann. 3206 mund. 3206. cujus impietatis vindex fuit *Rezin* Syrus is, qui Regnum *Damascenum* in Syria fundavit, è cujus familia regnarunt *Benhadadi* potentissimi *Reges*, quorum bella in S. Literis describuntur, adversus hunc *Rezin* in subsidium vocatur *Phul Assur* seu *Tiglath Pilasser*, Assyriæ Rex, cujus Successor *Salmanassar* Samaria capta, decem tribus & *Hoseam*, ultimum Israëlitarum Regem, in Assyriam abducit Ann. Mund. 3220 3220. Salmanassaris Filius *Senacherib* Hierosolimam obsidet, at frustra; nam, divino auxilio *Hiskiæ* R. precibus impetrato, Angelus Domini

una

una nocte centum & octoginta quinque militum millia cædit An. M. 3236. 3236
Soluta itaque obsidione, Rex in urbem Niniven refugiens à filiis occiditur. De hoc memorat *Herod. l. 2.* quod cum Ægyptum invasisset, *noctu habenæ & lora* à mutibus *corrosa* fuerint, hinc, fugere eo coacto, *statuæ* in Ægypto posita, in qua Rex manu altera murem tenebat cum hac inscriptione: *in me intuens, pius esto. Candaulen*, Lydiæ Regem stolidum, occidit, *Gyges*, præstigiator, de quo fabula est, quod annuli beneficio inconspicuum se fecerit, cum voluerit. Vid. adagium: *Gygis annulum habet.* Circa hæc tempora *Dejoces Medus*, justitiæ & prudentiæ fama illustris, regnum sibi comparavit & *Ecbatanis*, Urbe Medorum clarissima condita, *novi Imperii* auctor extitit. Romæ *Numa Pompilius* is, qui sacra Romana constituit, succedit Romulo Ann. M. 3240. Huic *Tullus Hostilius* bellator strenuus An.

Mund.

Mund. 3273. qui Albam longam dirupit, populo Romam translato & *Metium Suffetium*, fœderis ruptorem, inter duos currus religatum, pernicibus equis distraxit; Idem Tullus fulmine cum tota domo conflagrâsse perhibetur. Circa hæc tempora *Manasses*, Rex Judæ Impius, ab Assyriis in captivitatem abductus, agit pœnitentiam & regno restituitur.

4. *Iosias*, Rex Judæ maximè pius *Ammoni* succedit impio Ann. Mund. 3308 3308. eo regnante, floruit Jeremias Propheta: *Draco* Ἄρχων leges Athenis tulit durissimas, quas ea propter sanguine scriptas esse dixit *Demades*, draconis, non hominis esse affirmavit Conon, paulò pòst *Solon* Athen. Remp. novis instruxit legibus. Sennacheribo à filiis cæso successerat *Assarhaddon*, quem victum regno exuit *Merodach*, Babyloniæ Præfectus (b) cujus in sacris multa fit mentio, ejus in Prophetia Danielis narrantur somnia,

mnia de futuro multis pòst seculis ordine Regnantium, narratur & insolentia, à Deo gravissimè vindicata. Hic *Jojakim* Judæ R. & unà *Danielem*, divinæ Magistrum *Sapientiæ*, Babylonem, *Urbem* à se magnificè instauratam abducit A. Mund. 3339. ab eodem Judæorum Rex ultimus, *Zedekias*, captus & excœcatus, Templo incendio deleto, abducitur A.M 3360. Nebucadnezari succedit *Evilmerodach* & huic *Balthasar*, in sacris *Belsazer*, Herodoto *Labynitus*, quo trucidato ob temulentiam & blasphemiam, regnum occupat *Darius Medus*, cujus gener fuit *Cyrus*, Persarum Rex primus & Monarcha, *Astyage*, avo materno, Medorum Rege ultimo, victo A.M. 3400. De hoc *Astyage*, de *Cyri expositione*, *educatione*, de *Harpago*, qui regiam ulturus *crudelitatem*, Cyrum ad *rebellionem* impulit, multa habet *Herod. l. 1.* quem vide. Romæ regnavit *Ancus Martius* Ann. Mund. 3312. *Tarquinius*

3339.

3360.

Priscus 3336. *Servius Tullius* Ann. mun. 3374. Horum *res gesta* petantur è *Livio*, *Floro*, Aliis. *Phalaris* tyrannidem exercet Agrigenti in Sicilia homineſq; candenti æneo tauro incluſos necat, inventore operis *Perillo*, primo ſic necato, ſcilicet οἱ αὐτῷ καικὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ καικὰ τεύχων. Eodem ſeculo præter Poëtas, *Arionem*, *Phocylidem*, *Theognidem*, *Simonidem*, *Anacreontem*, in Græcia ſeptem floruêre ſapientes, quorum hæc fuêre nomina:

Cum *Solone Thales*, *Periander* cum *Cleobulo*.
Hiſce pares *Chilon*, *Pittacus* atque *Bias*.

Item *Cræſus*, Rex Lydiæ ditiſſimus, *Alyattis* Filius, à Cyro victus captusque; qui cum rogo impoſitus magna Solonem voce invocâſſet, eum, qui divitias ſuas oſtentantem meminiſſe juſſerat, ante obitum neminem beatum eſſe appellandum, veniam meritus eſt & locum in Amicis Cyri.

Perio-

Periodus IV.

A Cyro usque ad Alexandrum Magnum.

ab

A. M. 3400. ad A. M. 3620.

I.

Cyrus, in sacris *Coroes*, laudatissimus Princeps, Judæis in patriam re- 3400
vertendi potestatem fecit, Ducibus *Zorobabele & Josua* Sacerdote Ann. Mund. 3419. quilicet Hierosolymam restaurare cœperint & templi fundamenta jecerint, vicinarum tamen gentium odiis fraudibusque vexati atque impediti, parum profecêre. *Cyrus* bellum intulit *Scythis*, quos vocant *Massagetas*, à quibus cum victus esset cæsusque, caput præcisum, jussu *Tomyris* Reginæ in utrem, humano sangui ne repletum, conjectum est, additis per ludibrium his verbis: *Sanguinem sitiisti, sanguinem bibe.* Rem ita narrant Herodotus & Justinus. Alii fato suo eundem functum & magnificè

Babylone sepultum esse perhibent, uti & sepulchri ejus Curtius meminit. Regnante Cyro, in Italia floret *Pythagoras*, magni notique nominis Philosophus, qui inter alia transmigrationem animarum post obitum in alia corpora, seu μετεμψύχωσιν statuit eamq; opinionem palam licet falsam & absurdam, Benjani in India aliæque gentes orientales in hunc usque diem tuentur, quarum nonnullæ tam ineptè religiosæ sunt, ut nullum animantis genus interimant, veritæ, ne quem majorum suorum interficiant. Ab hoc *Pythagora*, cujus apud suos tanta auctoritas fuit, ut ad tuendam sententiam satis esse ducerent, si dicerent: αὐτὸς ἔφα, *Italica*, uti à Thalete *Jonica*, descendit *Philosophia*. Romæ *Tarquinius Superbus* à moribus sic dictus, Prisci Filius, Servii Gener, Socero cæso, impulsu uxoris impiæ, quæ & carpento vecta super cruentum Patris corpus (vid. Florus.) regnat A. M. 3418. Is ob crudelitatem & libidinem

nem, cum Filius ejus Sextus ornatissimæ fœminæ, Lucretiæ, stuprum per vim intulisset, fugatur regnoq; exclusus, ad *Porsenam*, Etruriæ Regem, confugit, qui gravi Romam obsidione premit, exulem vi manuq; reducturus, at *Horatii*, *Scævolæ*, *Cloeliæ* virginis heroica virtute territus, cum Romanis, pœne jam victis, fœdus ferit. Florus lib. 1. cap. 10. confer & Liv. libr. 1. Hist Rom. Reipubl. cura duobus Consulibus mandata est, primi Consules fuêre *Junius Brutus* &, *Tarquinio Collatino* ob invisum nomen genusque regium urbe dimisso, *Valerius Publicola*.

2. Cyro succedit *Cambyses* Fil. An. M. 3421. Regni, non virtutis paternæ hæres. Ægyptum debellat A. M. 3425. victo *Psammenito* Rege, qui uxoris & liberorum cædem siccis spectans oculis, *domestica*, inquit, *mala majora lacrymis*. Ex Ægypto in *Africam interiorem* profectus, multa millia arenis obruta amisit, cæteri, cum decimum quemque præ nimia fame de- 3421.

vorâssent, re infecta, reversi sunt. Idem *Sisamnem*, corrupti judicii convictum, cute nudari eaque instrato tribunali *Otbanem* filium imponi præcepit, cum monito, ut paterni memor supplicii cautius justiusq; ageret, cætera crudelis & ebriosus, quippe qui *Sororem* incestu pollutam, calcis ictu interfecit, *Smerdin* Fratrem necavit & filium *Prexaspis*, regiam arguentis ebriositatem, sagitta confecit, ejusque cor exsectum patri ostendit, ostensurus jaculantis manum, nec ebriam, errare. *Polycrates* Samius, diu felix ac potens, cui *Amasis* Ægypti Rex ob nimiam felicitatem amicitiam renunciavit, præsagiens eandem esse gravem consecuturam calamitatem, & consecuta est: nam ab *Oronte*, Sardium præfecto, cruci affixus est.

3. Mago, qui *Smerdin* se, Cambysis fratrem, falsò dixerat, è medio sublato, equi hinnitu Rex constituitur *Da-*
3429 *rius Hystaspides* AN. M. 3439. Templi
ille

ille Hierosolymitani restaurationem, præbitis impendiis, promovet, *Haggæo* & *Zachariæ* Prophetis opus urgentibus, idem Babylona rebellem diuturna obsidione fatigat, tandemque ope fideq́ *Zopyri*, qui ad Babylonios confugerat, iisque à Dario se contumelia affectum, naso auribusq́; præcisis, persuaserat, capit, diruit. Ann. Mund. 3436. hinc Darius dicere solitus est *unum se malle Zopyrum salvum, quam centum Babylonas capere.* Non multò post Darius expeditionem in Scythiam suscipit, sed eventu parum felici; nemo enim impunè Scythas ut loquitur Justinus, attigit. Ingentes ejusdem copias exigua manu in campo Marathonio cecidit *Miltiades*, Dux Athenienſium Ann. Mund. 3460. in quo prælio *Themistoclis* Virtus emicuit & *Cynegiri*, qui truncatis manibus, navem hostium morsu detinuisse scribitur. Nep. in Milt. & Just. lib. 2. Dario Rege *Harmodius* & *Aristogiton*, Tyrannicidæ, statuas Athenis

meruêre, occiso *Hippardho*, Pisistrati Fil. Plebs Romana à Patribus vexata in montem sacrum secedit, quam in urbem reducit *Menenius Agrippa*, apologo narrato de litibus ortis humanos inter artus & ventrem otiosum. *Sybaris* deleta à *Crotoniatis*, Duce *Milone*, Viro prodigiosi roboris. *Sybaritæ* propter opes nimias, & effœminatissimi, & superbissimi fuerunt, unde natum proverbium: *Sybaritæ per plateas*; quod de iis usurpatur, qui in publico ambulantes, jactatione brachiorum integram ferè plateam occupant, neque ulli de via decedunt. Ipsos *equos artem saltandi* docuêre, quæ res exitio ipsis fuit cum *Crotoniatis* confligentibus. *Pindarus* Lyricus P. & *Æschylus* Tragicus florent. Item Philosophi *Heraclitus* & *Democritus*, quorum ille humana flevit, hic risit. *Ephesii Hermodorum* civem Urbe ejiciunt, dicentem: *nemo nostrum solus frugi sit*, vel ut Ci-

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0058
Mecklenburg Vorpommern

Cicero habet lib. 5. Tusc. §. 105. *Nemo de nobis unus excellat, sed, si quis extiterit, alio in loco & apud alios sit.*

4. *Xerxes* ex Atossa, Cyri filia, natus, Dario Patri succedit. A. Mund. 3465. eundem S. Literæ *Ahasverum* vocant, qui, *Vasti* Conjuge abdicata, Estheram, Atossam aliis, in matrimonio habuit. Græcos ille debellaturus in Europam transit cum numerosissimo exercitu, militum fuisse perhibent decies septies centena peditum, equitum octoginta milia, præterea classiarii milites ter mille vehebantur navibus, at pugna Salaminia victus à Græcis, *Duce Themistocle* Athenienſi, scapha piscatoria in regnum trepidus refugit, relictis ad domandam Græciam trecentis militum milibus cum Duce *Mardonio*, à *Pausania*, Lacedæmoniorum Duce, non multò post victo fugatoque. Terror ille Græciæ *Xerxes*, qui & mari malè sibi morigero, flagris cæso, sto- 3465.

lida insolentia quietem imperavèrat, ab expeditione tam infelici redux, etiam suis contemtui fuit & ab *Artabano*, corporis custode, interfectus est. His temporibus floruit Spartæ Dux *Leonidas*, qui occupatis Thermopylarum augustiis, unus cum paucis suorum innumeros hostes sustinuit tandemque non victus, sed vincendo fatigatus occubuit & *Aristides* Athen. cognomine Justus. De utroque vid. *Corn. Nepos in Vit. Excell. Impp.* In pugna etiam *Salaminia* maximè eminuit Virtus *Artemisiæ*, Halicarnassi Reginæ, *Xerxis* R. secutæ partes. Floruêre etiam *Sophocles* & *Euripides* Poëtæ. Romam oppugnat *Marcus Coriolanus*, qui urbe pulsus, ad hostes Volscos transierat, at precibus *Veturiæ* Matris & *Volumniæ* uxoris victus bellum omittit.

§. Xerxen excipit *Artaxerxes Longimanus*, græcè μακρόχειρ, in sacris
3486 Arthasastha An. M. 3486. Hoc *Rege Esra* Sacerdos, cum amplissimis mu-

neri-

neribus in Judæam missus, præclarè Remp. Judæorum restituit, eum decimo quarto post anno *Nehemias*, pincerna Regis, sequebatur, qui Præfecturam Judææ consecutus, eandem, Scriptura teste, fide administravit optima. Fidus huic aderat Comes *Malachias*, Prophetarum V. T. ultimus, conditumq; est Synedrium, cui præfuerunt Viri Synagogæ magnæ. Romani *Decemviros* in Græciâ mittunt, legum cognoscendarum causa, unde natæ Leges XII. Tabularum, fons publici privatiq; juris. His Decemviris cura mandata est Reip. quorum cum Princeps *Appius Claudius*, pudicitiæ *Virginiæ*, virginis pulcherrimæ, insidiaretur, *Virginius* Pater in filiæ viscera cultrum adigebat, melius esse ratus morte eandem, quàm contumeliâ amittere, hinc Magistratus Decemviris abrogatus. *Herodotus*, quem Historiæ Patrem appellat Cicero, floret, veris ille cùm falsa misceat plurima, Plutarchus libellum scripsit de Malignitate Herodoti,

quem tamen alii excusant. *Cl. Hornius* quidem *principem ei locum* inter profanæ historiæ Scriptores tribuere nullus dubitat. *Pericles* ob inusitatam vim eloquentiæ dictus tonare & fulgurare, Athenis dominatur, orto bello Peloponnesiaco, quo Spartani cum tota Peloponneso adversus Athenienses insurrexerunt, idque communi Græcorum pernicie viginti septem annis gestum est. *Hippocrates* Medicus floret & *Aristophanes* Comicus.

6. Artaxerxi succedit *Darius*, à Græcis *Nothus* dictus, cum è pellice
3526 esset natus Ann. M. 3526. Cyri ille edictum renovat de instaurando templo Hierosolymitano, cujus encænia incidunt in A.M. 3532. Athenienses varia fortuna bella gerunt Duce *Alcibiade* qui & virtutibus eluxit & vitiis infamis fuit, verè pila fortunæ. Vid. Nepos in Alcib. tandem amissis navali prælio navibus, Duce Lacedæmoniorum *Lysandro*, pacem petere coguntur, quâ ægre impetrata, murorum parte ad ti-

tibiæ cantum dejecta, triginta Rectores accipiunt. Romæ tum temporis regnabant Tribuni militares, consulari potestate, quorum potestas cœpta An. Mund. 3508. stetit ad Ann. Mund. 3588.

7. *Artaxerxes Mnemon*, à memoriæ præcellentia sic dictus, Dario succedit An. Mund. 3545. Pacis Rex studiosissimus; licet quarto Regni anno 3545 inter ipsum & Cyrum Fratrem bellum exarserit, qui Princeps, sanè egregius, in prælio pugnans acerrimè ceciidit. Athenis dominantur aut potius crudelissimè sæviunt triginta Tyranni, qui, cum uni de grege suo *Theramени* crudelitatem suam displicere didicissent, eundem in vincula conjectum cicutam bibere coëgerunt, qui cum poculum illud Θανατοφόρον ebibisset, ridens adjiciebat, *propino hoc pulchro Critiæ*, qui tyrannus in eum fuerat teterrimus. Cicer. l. 1. Tuscul. 9. etiam *Socrates*, è cujus ludo, velut ex equo Trojano, innumerabiles pro-

diere Philosophi, eodem fato periit, cui cum nuntiaretur, Tyrannos eum mortis damnâsse; *& ipses*, respondebat, *Natura*. Tyranni paulò post à *Thrasybulo*, paucorum exulum Duce, partim cæsi sunt, partim Urbe pulsi & dignitate exuti. Nep. in Thras. *Agesilaus* Spartæ Rex maximas res gerit in Asia. *Epaminondas* Thebas illustrat, gravis hostis Lacedæmoniorum. Plato Deus Philosophorum, dicente Tullio, & *Xenophon*, Apis Attica dictus, Cathedram ornant Philosophicam. *Galli Senones*, Romanis ad Alliam prælio fusis, Romam populumq; A.M. 3563. *Manlio* masculè Capitolium defendente, qui tamen postea, cum regnum affectâsset, de eodem ad rebellionem concitâsset, de eodem saxo Tarpejo dejectus periit; Gallorum verò injurias gravissimè vindicavit *Camillus*, absens Dictator creatus, *alter Romulus* ea propter dictus. Ea fuit innocentia hic Camillus, ut, cum *Falisços* obsideret, Magistrum

ludi

ludi literarii, qui Principum filios ad eum adduxerat proditor, iisdem pueris in Urbem redigendum verberandumque traderet. Thebas, à Lacedæmoniis oppressas, exules oppidò pauci, Duce *Pelopida*, recuperant. *Timoleon*, Timophane Fratre Tyranno occiso, Corinthiis libertatem restituit. Vid. Nepos. In Sicilia tyrannidem exercent *Dionysii, Major & Minor*.

8. *Artaxerxes Ochus*, Mnemonis Filius, Regni, non morum hæres Ann. Mund. 3589. nam superstites octoginta fratres uno die obtruncavit omnesque Persarum Reges crudelitate superavit, unde cum *Bagoa* Eunuchi insidiis periisset, cadaver ejus felibus projectum & ossa in gladiorum manubria versa sunt. Macedonicum Regnum obscurum atq; ignobile emergit *Philippi R.* virtute ac felicitate. *Dion* Dionysium Min. tyrannide exuit, duabus onerariis navibus aggredi ausus quinquaginta annorum Imperium, quingentis longis

na-

navibus munitum, nempe nullum imperium satis tutum est, nisi munitum benevolentia. Nepos in Dione. Idem *Dionysius* sceptro mutato ferulâ, Corinthi literarum elementa pueros docens, in ultima miseriâ consenescit, unde natum proverbium: *Dionysius Corinthi. M. Curtius* in voraginem, pestilentes exhalantem vapores, cum equo se immittit armatus, pestem à civibus aversurus. *Templum Dianæ Ephesinæ* longè pulcherrimum ab *Herostrato*, immortalis obtinendæ famæ studio incenso, incenditur. *Philippus* Mac. R. ingenti clade Athenienses afficit, qua lætus ille cum Græcis insultaret, *Demades*, licet captivus, Agamemnonis, inquit, Personam fortuna tibi tribuit, & tu Thersiten refers? qua correptus voce paulò ille modestius se gessit, & à puero quodam quotidie moneri voluit, se esse hominem, non multò post etiam à *Pausania*, corporis custode, cui illatas ab Attalo injurias Rex vindicare recu-

recusaverat, inter ipsos nuptiarum apparatus occisus est. Floret Athenis *Demosthenes* Orator, cujus Orationum optimam quam esse putaret, interrogatus Cicero, respondit: longissimam. Plut. in Cic. *Aristoteles* Philosophus, *Diogenes* Cynicus, alii.

9. *Arses* Ocho succedit An. Mun. 3611. eique ejusdem Bagoæ insidiis interemto *Darium Codomannum*, Persarum *Rex* ultimus An. Mund. 3614. Bagoam ille Regicidam venenum sibi præparatum bibere coëgit. Ab *Alexandro Mac. R.* tribus præliis maximis, primo ad *Granicum* amnem, altero ad *Issum*, tertio ad *Arbela* victus, atque à *Besso* & *Nabarzane*, nefando perfidiæ scelere, peremptus, & regno, & vita exuitur. Ann, M. 3620.

3611

3614

Perio-

Periodus V.

Ab Alexandro M. usque ad J. Cæsarem.

Ab A.M. 3620. ad A.M. 3907.

1.

Alexander, latissimè Rex, Continentiam & Moderationem in superbiam & lasciviam vertit, ut ait Curtius l. 6. hostiumque Victor vincitur vitiis, dum, abdicato Philippo Patre, Jovis se Filium dicit, adulatoribus sese adorandum præbet, per temulentiam Clytum, qui periculo suo perniciem à Regis capite in pugna ad amnem Granicum averterat, occidit, *Philotam*, *Parmenionem* aliosque purpuratos, nullius convictos criminis, interfecit, *Callisthenem*, Philosophum, austerum hominem, neque aulicis aptum moribus, truncatis naribus auribusque necat, adjiciens: odi sapientem, qui sibi ipsi non sapit, svasu *Thaidis* meretriculæ Regni caput

put *Persopolin*, Urbem longè pulcherrimam ditissimamque, incendit. Ita Rex armis invictus, voluptatum fractus illecebris, occubuit, cumque vixisset annos 32. regnasset 12. Babylone decessit, non sine suspicione dati veneni: cum enim totam noctem perpotasset, hausto Herculis, quod vocabatur, poculo, repentè collapsus ingemuit victusque cruciatu ferrum in remedia depoposcit. Imminente fato, de Regni hærede interrogatus, *Præstantissimo* vel *Dignissimo* illud delegavit, oblitus & filioli *Herculis*, & *Roxanes*, quam prægnantem reliquit, quæ & post excessum ejus Filium enixa est. Alexandro Alexandriæ in Ægypto magnificentissimè sepulto, Imperium post civiles Ducum dissensiones in IV. Regna distractum est. *Ægypti*, *Syriæ*, *Asiæ*, & *Macedoniæ*. Ita uno infracto cornu, alia quatuor enata sunt cornua ex vaticinio Danielis cap. 8. vers. 8. 12.

2. Ptolemæus, Lagi Filius, Soter dictus

dictus à Rhodiis, quibus opem tulit adversus Demetrium Poliorceten Ægyptum occupat Ann. Mund. 3628, 3628. *Seleucus* Syriam, *Antigonus* Asiam, *Aridæus* Philippi ex saltatrice quadam filius, insanabilibus animi vitiis laborans, cum *Perdicca* Macedoniam. *Seleucus* Demetrium Asiæ R. Antigoni filium, vincit atque ita Asiam Syriæ adjungit, *Nicanor* à continuis victoriis sic appellatus, Urbes condidit quàm plurimas, quarum præcipua fuit Seleucia ad Tigrim, per quam Babylon desolata est. *Perdicca* ob arrogantiam militi invisus cæditur. *Aridæum Olympias, Mater Alexandri,* impotentis irâ animi furens, per cruciatum necat aliosque quam plurimos Macedones crudeliter mactari jubet, at *Cassander* eandem, ut & *Roxanen* cum filio Alexandro juniore, etiam Herculem, alterum Alexandri Filium cum *Barcine* Matre interficit, cujus crudelitatis & ipse pœnam non effugit, dum aqua

inter-

intercute & vermibus è vivo corpore enatis moritur. Romanis illatam à Samnitibus contumeliam ad Furcas Caudinas gravissimè vindicat *Papyrius Cursor*, totâ propemodum gente deleta Fl. lib. 1. cap. 16. Tandem huic bello finem imposuit *Curius Dentatus*, antiquæ vir frugalitatis & continentiæ, qui Legatis Samnitium, ingens auri pondus offerentibus, cum ipse in foco rapa torreret, *malo*, inquit, *hæc in fictilibus meis esse & aurum habentibus imperare*. *Agathocles* figulus regnum per tyrannidem occupat in Sicilia, de quo Poëta:

Fama est fictilibus cœnâsse Agathoclea Regem
Et Mensam Samio sæpe oneràsse luto.

3. *Ptolemæus Philadelphus*, ideo quod sororem *Arsinoen*, in matrimonio habuit, à Græcis dictus, vivo Patre, regnavit Ann. Mund. 3665. literas ille & literatos viros maximè fo- 3665

vit

vit, *Stratonem*, Philosophum, Præceptorem suum, remuneratus 80. talentis instructissimam Alexandriæ Bibliothecam adornavit, libris undique conquisitis, unde & libros sacros Veter. Testamenti per LXXII. Interpretes Judæos græcè verti curavit, quam hodieque versionem Christiani legimus. Frater ei natu major erat *Ptolemæus Ceraunus* ob violentam audaciam dictus, quem regno exclusum *Seleucus Nicanor* benignè apud se habuit, malam ille gratiam benefactori suo retulit, quem regno vitaque spoliavit. non multò post à Gallis viciſſim regno vitaque spoliatus. Hi *Galli*, *Galatæ* à Græcis appellati, novas sedes quærentes, latè victores ingentes fecêre prædas, ipsum etiam Templum Delphicum, Duce *Brenno*, scurriliter jocante locupletes Deos hominibus largiri oportere, oppugnant at infeliciter: nam miserè omnes cum Duce suo variis casibus periêre, cæteri eam Asiæ partem, quæ

Gala-

Galatia aut *Gallogræcia* ab ipsis dicta est, occuparunt. Romani bellum gerunt cum Tarentinis Anno Mund. 3669. quibus opem fert *Pyrrhus* Epiri R. armis clarissimus, & victus est à *Fabricio* Justitiæ fama illustri, quippe de quo ipse *Pyrrhus* hostis *Solem*, ajebat, *citius à cursu suo averteris, quam ipsum à Justitia.* Orator Pyrrhi *Cyneas* non pauciora oppida linguâ, quàm Pyrrhus ferro expugnâsse dicitur; idem de Senatu Roman. quid sentiret, interrogatus, *Regum* eundem dixit *Consessum* talesque Senatores omnes, qualis unus in Epiro *Pyrrhus*. *Bellum Punicum* 1. cœpit An. Mund. 3687. in eo virtus fidesque emicuit *Reguli* Rom. D. qui non cum hominibus tantùm, sed cum monstris etiam dimicavit & serpentem in vindictam quasi Africæ natam, 120. cubitorum, ad Bagradam fl. occidit, at *Xantippo*, Spartano Duce, Pœnis auxiliante, vivus ipse in hostium pervenit manus, qui Romam missus à Carthaginensibus, ut

de

de pace ageret aut captivorum permutatione, neutrum Senatui suasit, atque ita ad exquisitissima supplicia redire maluit, quàm fidem hosti datam solvere, Cic. in Off.

4. *Ptolemæus Evergetes* in Ægypto regnat Ann. Mund. 3704. Seleuco Syriæ Asiæque Regi succedit *Antiochus* 3704 Soter & huic Antiochus, Θεὸς, intoleranda adulatione dictus, ei veneno sublato successit *Seleucus II. Callinicus* bellum ille gessit, & cum *Ptolemæo*, Ægypti Rege, & cum fratre *Antiocho Hierace* (Hierax i. accipiter ille ob audaciam prædandiq; cupiditatem cognominatus est) at uterque Frater, amisso regno, cadunt exules, qua occasione *Attalus*, Pergami R. regni sui finibus dilatandis non deest. *Carthago* à mercenariis suis militibus, cum exhausto bellis ærario stipendia his solvi non possent, obsidetur, neque in majori unquam periculo fuit, quàm cum deleta est, verum *Amilcar* seditiosos fame ad deditionem tandem

tandem compulit, actis in crucem Ducibus, Romæ finito bello punico I. Jani porta clausa est, ortis mox bellis referanda. *Jesus Syracides* hoc Ptolemæo regnante, in Ægyptum venit.

5. Evergetæ succedit *Ptolemeus* cognomine factis contrario *Philopator* (nam, Patre & Matre necatis, regnum occupavit) dictus A.M. 3730. Oritur bellum *Punicum II.* A.M. 3733. inquo strenuè rem gessit *Hannibal*, Pœnorum Dux, acerrimus hostis Romani nominis, & *Scipio*. Belli causam præbuit *Saguntus*, Urbs Hispaniæ, & fame & fide & clade nobilis: *Saguntini* enim fessi fractique fame & armis, sese ferro & igne cum opibus suis consumtis, prædæ nihil hosti reliquerunt *Hannibal*, tantæ cladis auctor, ad supplicium à Romanis poscitur, ille verò cum exercitu Alpes transiens, Romanos primùm ad *Trebiam* fl. hinc ad *Thrasimenum* lacum, tertiò ad *Cannas* fundit, quæ ultima clades Romanorum gravissima fuit, qua victoria uti

si sciviſſet Hannibal, ipſam Romam occupaſſet, at, relicta hac, *Campaniam* ille cum exercitu petit, cujus ipſi deliciæ fuêre, quod *Cannæ* Romanis Hannibali ſeſe cum laude ſua maxima oppòſuêre *Fabius Maximus*, *Cunctator* dictus, eo quod ferocis hoſtis impetum cunctando fregit, *M. Marcellus*, qui Syracuſas, urbum Siciliæ munitiſſimam expugnavit, in qua expugnatione *Archimedes* Mathematicus ab inſcio milite occiſus eſt; & *Scipio*, ab Africa domitta appellatus *Africanus*, qui Hannibalem in *Africam* ſuam retractum vicit belloque finem impoſuit, Carthaginenſibus pacem petere coactis. Idem Scipio repetundarum accuſatus, librum rationum, ſpectante populo conſcidit, *hac die*, inquiens, *Carthaginem vici: bonum factum! in Capitolium eamus & Diis ſupplicemus.* Abeuntem univerſa concio ſecuta eſt; hinc in voluntarium exilium *Linternum* conceſſit & moriens oſſa ſua Romam referri vetuit,

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0076
Mecklenburg Vorpommern

ne ossa sua ingrata Patria possideret. Res ab eo gestas versibus mandavit *Ennius* P. comes ejus & familiaris. *Ptolæmeus*, Judæis infensus, ingentem eorum multitudinem Elephantis obterendam objecit, at hæc precibus divino impetrato auxilio miraculo evasit incolumis, elephantis in milites & turbam circumstantem irruentibus, & ovium quemque proculcantibus.

6. *Ptolæmæus Epiphanes* i. Illustris An. M. 3747. cujus pueri quinquennis regnum *Antiochus* Syriæ & *Philippus* Macedoniæ R. occupare studuerunt, at Antiochus, Annibalis consiliis minus malo suo obsecutus, à Romanis, minorennis Regis tutoribus victus est, Duce belli *L. Cornelio Scipione*, Africani Fratre, *Asiatico* dicto agnomine, *Philippus* verò à *T. Flaminio*, qui Græcis libertatem, ingenti eorum & admiratione & plausu restituit. Hic *Philippus*, cum *Demetrium* Filium, sceleratissimi Fratris *Persei* ob- 3747

trectationibus impulsus, necâsset, non multò pòst præ nimia animi ægritudine decessit & Perseo parricidæ regnum reliquit. M *Portius Cato*, rigidissimæ Censor servitutis, floret, qui Romana vitia acerrimis insectatus orationibus, dictus est *Censorius* & *Major*, cujus è posteris fuit *Cato minor* & *Uticensis* ille, qui Uticæ in Africa, ne Tyranni Cæsaris vultum aspiceret, sua se manu interemit. Floret & *Plautus*, lepidissimus Fabularum Scriptor.

7. *Ptolemæus Philometor* ab amore
3770 Matris sic dictus An. M. 3770. *Seleuco* Fratri in Regno Syriæ succedit *Antiochus Epiphanes*, verius *Epimanes*, qui Idolum statuit in Templo Hierosolymitano, Judaicæ gentis & Religionis hostis acerrimus, ei generoso se animo, nec sine successu, opponit *Judæ Maccabæus cum Fratribus*, qua de re videantur Libb. Maccab. *Ptolemæo* R. Ægypti bellum facturus à Romanis prohibitus est: nam cum *Popilius* Legatus *Rom.* in itinere ipsi occurrisset,

set, redditisque à Senatu tabellis, in consilium Amicos se adhibiturum ille dixisset, virga, quam in manu gessit, Regem circum scripsit Popilius, adjiciens: *priusquam hoc circulo excedas, redde responsum Senatui, quod referam*, tam violento ille imperio obstupefactus, *faciam*, inquit, *quod censet Senatus*. Tandem cum scurram verius & Tyrannum, quam Regem egisset annos 12. in acutissimis, DEO vindice, doloribus, Babylone decessit. *Æmylius Paulus* Dux Rom. *Persea*, Macedoniæ Regem, cruenti animi & intestinis infamē cædibus vincit, quem captum sibiq; deditum humaniter ille habuit suosque monuit, ut posito fastu, præsenti fortunæ nimium ne crederent, cum, serus quid vesper vehat, incertum sit, eum demum virum esse, cujus animum nec prospera flatu suo efferret, nec adversa infringeret fortuna. Idem triumphans Regē cum tribus filiis ante currum duxit triumphalem. Hic finis fuit Regni Macedonici. *Prusias*, Bithyniæ

Rex, ille, qui pileatus Romæ in Senatum venerat seque libertum pop. Romani, regiæ oblitus Majestatis, dixerat, à filio *Nicomede*, quem neci ipse destinaverat, occiditur. Paulò post Macedonicum ortum est bellum *Punicum III.* ob injurias illatas *Massanissæ*, Numidiæ Regi, Romanorum socio. In eo Carthaginenses victi Classem & arma hosti tradidêre, cumque in Senatu de Carthagine ageretur, tollenda ea esset, an servanda, *Scipio Nasica* servandam eam putavit, ne metu urbis æmulæ sublato luxuriare urbis felicitas inciperet, *Cato* delendam; & hujus sententia vicit, ideoque à Scipione Africano Min. obsessa &, in ultima desperatione masculè se civibus defendentibus, capta est, incensaque arsit septem & decem dies. *Asdrubal*, Pœnorum Dux, victori se cum XL. milibus dedidit, at uxor Ducis cum duobus liberis ex arce in mediam sese flammam præcipitavit, *Didonem*, Carthaginis conditricem, imitata.

tata. Eodem ferè tempore *Corinthus*, totius Græciæ Lumen, dicente Tullio, à L. Mummio, ob causas non adeò graves deleta est. Floruit his temporibus *Metellus* ille, qui Romanorum putatur fuisse feliciſſimus, ut quem mortuum extulere quatuor filii, unus Consularis & Censorius, alter Consularis, tertius Consul, quartus Candidatus Consulatus. Item *Polybius & Panætius*, Scipionis comites, cui & familiaris fuit *Terentius*, *Aristarchus*, nobilis ille Criticus, qui sacrum laceri collegit corpus Homeri, unde illustriores Criticos Aristarchos, uti literarum patronos Mæcenates, dicere consvevimus.

8. *Ptolemæus Physcon* vel *Evergetes II.* Ægypti Rex An. Mund. 3804. 3804 *Physcon* dictus est à ventris crassitudine (φύσκη græcis crassum intestinũ est) κακεργέτης ob mores illaudatos. *Viriatus* Lusitanus, vir acerrimæ calliditatis, ex venatore latro, ex latrone Dux & Imperator factus, clade non

una affecit Romanos, ab his tandem oppressus. *Numantini* etiam, graves hostes Romano nomini, à *Scipione* obsessi, cum neque spes fugæ esset, neque potestas pugnæ ipsis fieret, clausam urbem ipsi succenderunt cunctiq; veneno, ferro & igne consumti sunt, ita de nomine tantùm triumphatum est. Fl. l. 2. c. 17. & 18. *Attalus*, Pergami Rex sceleſtus, populum Rom. hæredem instituit, ab eo omnia magnifica & præclara dicuntur *Attalica*. Tib. *Gracchus*, Tribunus Pl. legem rogavit Agrariam, sive de Agris populo dividendis, ea propter à *Scip. Nasica*, privato licèt, occisus est, Senatu cædem approbante. Non multò pòst Frater ejus, *Gracchus*, eodem fato periit, ab eadem culpa fraterno exemplo non deterritus. Fl. l. 3. c. 14. & 15. Caput ejus auro repensum est, auctore Opimio Consule, trucis animi Viro. Hi Gracchi eloquentissimi fuêre Viri, Filii Corneliæ, Africani Maj. Filiæ, doctissimæ fœminæ, quæ miseram se esse negavit,

quæ

quæ Gracchos pepererit. *Scipio Africanus minor*, in lectulo suo mortuus repertus est, cædis suspecta fuit *Sempronia* Uxor, Gracchorum Soror, quibuscum simultas ipsi fuit. In Judæa ortæ tres sectę: *Essæi* vrl *Esseni*, homines simplices, cœlibes, vanitatum voluptatumque contemtores, ita dicti à contemplatione, rerum cœlestium Contemplatores. *Pharisæi*, à separatione sic appellati, eo quod à reliqua plebe se segregarent, sanctioris vitæ æmulatores, at magni Hypocritæ. *Sadducæi.* Ita vocatos eos autumant, tanquam δοκησιδικαίους, à justitia, vel à *Zadoke*, primario sectæ suæ autore Hi Epicuræi erant, corporis resurrectionem negantes & animæ immortalitatem.

9. *Ptol. Lathurus* à latendo sic dictus, cum pulsus à matre Cleopatra clanculum regnum recepisset, Ægypto imperat Ann. Mun. 3830. Matris o- 3830.

dio ereptum sibi Regnum recuperat A.M. 3853 *Jugurtha*, Masaniſſæ nepos, *Micipſa* per adoptionem filius, vir ſtrenuus & callidus, excluſis Fratribus *Hiempſale* & *Adherbale* regnum affectat, cujus ſcelera Romani armis vindicatum eunt, quibus ille multum negotii faceſſit, auro non minus, quàm ferro pugnans, & à *Metello* primùm, poſtea à *Mario* victus & *Bocchi*, Soceri ſui, Mauritaniæ Regis, ad quem confugerat, fraudibus, fraudulentiſſimus Regum, captus, *Syllæ* traditur atque ita catenis opertum pop. Romanus in Triumpho Jugurtham adſpicit. Sal. in Bell. Jugurth. & Florus l. 3. c. 1. ab eodem Mario *Teutones* primùm, & mox *Cimbri* novas ſedes quærentes, qui, cæſis Romanis ad Rhodanum fl. majorem pœne terrorem Romæ, quàm ipſe olim Hannibal, incuſſerant, ad internecionem cæſi ſunt. *Mithridates*, Ponti Rex duarum & viginti gentium, quibus impe-

perabat, ore loquens, Romanis bellum movet, virtute *Luculli*, felicitate *Sullæ Pompeji* magnitudine, tandem, cum victori populo per quadraginta annos restitisset, oppressus. Fl. l. 3. c. 5. *Marius*, ut bello optimus, ita pace pessimus, & *Sylla* de Principatu contendunt, dumque delirant Reges, quod dicitur, plectuntur Achivi: cum enim *Marius* & *Cinna*, seipsos Consules renunciâssent, in capita Senatus, inprimis in cives iocupletes, crudelissimè sæviunt, Marius diem obiens supremum imminens fato evadit periculum. *Cinna* à militibus lapidato, Consulatum obtinent *Marius* juvenis & *Carbo*, bi in ulti ne pereant adventante ex Asia Sylla, vindice tantæ crudelitatis, de Senatu, quasi de carcere educunt, qui jugulentur. At *Sylla*, *Felicis* assumto nomine, in acie cæsis septuaginta amplius hostium millibus, in via etiam publica octo deditorum millibus trucidatis, vi-

ctoria non sine sævitia usus est, Dictator quàm plurimos, nocentes; innocentes necavit, proscripsit; proscriptorum bona sub hasta vendidit, *Marium*, Ducis Fratrem, manibus cruribusque defossis, aliquamdiu servavit, ut per singula morerentur membra, tandem sævitiæ satur Dictatura abiit & Cumis ex morbo pediculari decessit. Templa Dæmonum celeberrima, Capitolium Romæ & Fanum Delphicum conflagrârunt, at reparata sunt. Floruerunt Oratores *L. Crassus* & *M. Antonius*, quos in Oratore suo laudat Cicero, item *Mut. Scævola*, juris scientia clarissimus.

10. **Ptolemæus**, ob luxum, novus Bacchus, à fistularum studiis *Auletes* dictus, Ægypti regnum tenuit An. M. 3867. præterque nomen vix quicquam habuit regium. Ab Alexandrinis ille ob expilationes & injurias exactus, Romam abit obtinetque ingentibus largitionibus, ut

per

per Gabinium in regnum reducatur, *Archelao* rejecto, quem *Regem* fecerant Ægypti *Sertorius*, unus è Ducibus Romanis, à Sylla proscriptis, Hispaniam animat armatque adversus Romanos, omnibus ille prælis pœne par, sæpè superior, à suis desertus proditusque, à conjuratis in convivio interficitur. Eodem tempore gladiatores, effracto ludo, collecta servorum & ergastulorum multitudine, bellum Romanis non sine maxima clade, Duce Spartaco, inferunt, sæpe etiam victores de Urbe invadenda cogitant, tandem à *Licinio Crasso* victi obsessiq; tentata frustra eruptione, dignam viris obiere mortem, & ipse Dux *Spartacus* fortissimè dimicans in primo agmine occisus est. Flor. l. 3. c. 20. *Pompejus Tigranem* bello quæsitis regnis cogit cedere eique supplici sibi facto Armeniam regendam reliquit, paucis diebus piratas toto mari expellit. *Hircano* & *Aristobulo* de Regno Judaico dissidentibus, hoc ex-

cluso. Pontificatum illi reddit sine titulo regio, rebus maximis gestis Magni cognomen adeptus. *Cæsar* per Galliam arma circumfert victricia, *Arioviſtum*, Germanorum Regem, animi Heroa ferociſſimi, victor è Gallia pellit, in Britanniam trajicit. *Cicero* in foro Romano dominatur & Eloquentia ſua ſibi non minorem gloriam, quam armis *Cæſar* & *Pompejus*, conciliat, Conjuratione Catilinaria detecta oppreſſaque dictus *Pater Patriæ*. *Lucullus* Aſiaticis victoriis clariſſimus, profuſæ homo luxuriæ, magnificè ſplendidèque Romæ vivit, ea propter à Pompejo dictus *Xerxes togatus*. Ptol. Auletæ ſuccedit in Ægypto. *Ptol. Dionyſius* cum ſorore *Cleopatra*. Hujus imperio Regis Pompejus, à Cæſare in campis Pharſalicis victus, *Septimii* deſertoris ſui gladio in conſpectu Uxoris ſuæ *Corneliæ* trucidatus eſt, capite ad Cæſarem miſſo, à quo tamen ortis diſſidiis in pugna idem Rex occiſus eſt & regnum conceſſum

Cleo-

Cleopatræ, delicatæ & formæ, & gulæ puellæ. Hic finis fuit Regni Ptolæmæorum in Ægypto.

Periodus VI.

A. C. Jul. Cæsare usque ad Constantinum M. ab A. M. 3907. ad A. C. 306.

I.

CAjus Jul. Cæsar Conditor IV. & ultimæ Monarchiæ (ea de IV. Monarchiis sententia, ut congrua Scripturæ & Vaticiniis Danielis c. 2. & 7. rectè defenditur contra Bodinum, qui eam errorem inveteratum appellat & acerrimè impugnat. Vid. Wagneri Instit. Histor. l. 1. c. 3. & seqq) Cæsar, inquam, rebus præclarè gestis clarissimus, infinita regnandi flagrans cupiditate, civile movet bellum: cùm enim *M. Licinius Crassus*, inexplebilis homo avaritiæ, Parthico inhians auro cum exercitu vitam amisit, & *Julia*, Cæsaris filia, quam hic Pompejo, ad confirmandam potestatem

testatem suam, nuptui collocârat, decessisset, gravissimum ortum est bellum *Pompejum* inter & *Cæsarem*, cum neque hic superiorem, neque ille parem ferre posset. Tandem post cruenta prælia *cæsar* Victor, rerum potitus, ad sua deduxit flagra Quirites, & Pompejanis omnibus oppressis, Monarchiam invasit condiditque, Dictator dictus perpetuus; cujus gratiam aspernatus *Cato Minor*, Uticæ manus sibi violentas attulit; cæteris, uti natura erat mitis & clemens, ignovit; Idem verò vix quinque mensium quiete usus, à *Bruto*, quem in Filium adoptaverat, à *Cassio*, aliisque conjuratis arrogantiam ejus pertæsis, Idibus Martiis, quas ut caveret *Spurinna* Augur frustra monuerat in Curia Pompeji occisus est. Ann. 3907 M. 3907. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo Curiam implevit, ut loquitur Florus l. 4. c. 2. Symbolum ei tribuitur, *semel, quàm semper*. Scilicet satius est semel mori, quam perpetuo metu

metu mortis & insidiarum torqueri, uti Dion. apud Plut. in ejus Vit. malle se, ait, cuivis præbere jugulum, quàm ita vivere, ut ab Amicis æquè atq; ab inimicis cavendum sibi sit. Cædem Cæsaris *Cæsar Octavianus Augustus*, quem Sororis suæ Juliæ nepotem Cæsar adoptaverat, ulciscitur, *Bruto* & *Cassio*, conjurationis Ducibus, apud Urbem Philippos victis cæsisque: & quidem *Cassius* cervicem Liberto secandam, rebus desperatis, *Brutus* uni comitum latus confodiendum præbuit, neq; quisquam parricidarum ultra triennium superfuit, nonnulli eodem glidio, quo interfecerant Cæsarem, interfecti, parricidii pœnam pependere. Victoriam hanc secutus est Triumviratus *Octavii*, *Antonii*, *Lepidi*, quo consilia Ciceronis, qui unicè id agebat, ut sublata cum libertate tyrannide, P. S. Q. R. cum libertate Imperium restitueretur, turbata sunt, & ipse ab *Antonio*, acerrimo suo hoste, proscriptus, & proditus ab Adolescente

lescente *Philologo*, quem liberalibus artibus erudierat, cæsus est à *Popilio*, quem capitis reum olim defenderat; caput abscissum cum dextra Antonii jussu, pro rostris positum est. Ortis autem dissidiis inter ipsos triumviros, *Lepidus* dignitate, quam virtute tueri non poterat, exuitur; *Antonius*, cum *Octavia*, Sorore Augusti, dimissa, amore *Cleopatræ* Reginæ demens, libidini luxuique strenuè in Ægypto vitaret & Filiis ex Cleopatra susceptis Ægyptum aliasq; provincias pro regno attribui postularet, ad Actium à Cæsare victus est, & ipse quidem suo se gladio confodit, at *Cleopatra*, triumphi contumelias abhorrens, in Mausoleum concessit, & regali induta cultu in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium, admotis ad venas serpentibus; sic morte, quasi somno soluta est. Flor. l. 4. c. 11. Rerum itaqua potius *Cæsar*, jam *Augustus* cognominatus, Jani, belli pacisq; indicis, templum clausit. Urbem orna-

ornavit amplissimè, gloriari solitus *marmoream se relinquere, quam lateritiam invenisset.* Sub hoc pacifico Imperatore verus ille pacis princeps & orbis universi Redemtor, JESUS CHRISTUS, ex Maria Virgine, annos 15. ut ajunt, nata, nascitur A.M. 3947. (Christ. Matthiæ in Th. Histor. Christum scribit natum esse A.M. 3970) cujus Regis nativitate ex Magis, ab oriente donarecens nato ferentibus, aurum, thus, myrrham, Regiq; Hominiq; Deoq;, cognita, *Herodes Magnus*, non ultimæ cenæ Tyrannus, qui Hyrcanum socerum, Mariamnen Uxorem, Alexandrũ & Aristobulum Filios, aliosque quàm plurimos innocentes trucidavit, nefando infanticidio auxit infamiam, nequicquam novo *Regi* insidiatus. Aliàs Augustum ferunt, cùm Oraculum Delphicum de successore consuluisset hoc responsum accepisse: *Hebræus puer Diis imperans me hanc jubet relinquere domum; itaque posthac ab aris nostris discedito*; & quidem nato

Serva-

Servatore, oracula passim conticuisse, & tandem planè obmutuisse è profanis Scriptoribus liquidò constat, sc. cessêre tenebræ Luci, quo oraculo cognito *Augustus* aram *Deo primogenito* in Capitolio statuisse dicitur. Idem tandem, cum Imperio præfuisset annos 57. vixisset 76. sibi suisque antehac sæpius εὐθανασίαν precatus, repentè defecit in hac voce: *Livia, nostri conjugii memor, vive & vale.* Svet. in ejus vita. *Archelao* Successore Herodis Magni, ob crudelitatem Viennam relegato, Judæam Procuratores administrârunt. Eo tempore prodiit *Judas* ille *Galilæus*, cujus sectatores neminem, nisi Deum, dixêre Dominum, mortem nullam pro asserenda libertate detrectantes. Augusti temporibus floruêre Poëtæ clarissimi, *P. Virgilius Maro* & *Horatius Flaccus*, & ipsi & Mæcenati familiares. Item *Ovidius Naso*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius* Historici, *Livius C. Nepos. Salustius.* Symbolum Augusti fuit

it σπεῦδε βραδέως, *festina lentè*; quoties etiam suos Senatui commendavit, semper adjecit: *si merebuntur.*

2. Augusto successit *Tiberius* A. C. 14. Liviæ filius, jocosè ob vinolentiam dictus Biberius Caldius Mero. Tantæ Tyrannus crudelitatis, ut mortem leve duceret supplicium; cuidam reo pœnæ maturitatem precanti, respondit: *nondum tecum in gratiam redii*; cumque Carnulium, tormentis quem destinaverat, in vinculis decessisse cognovisset, exclamavit: *Carnulius me evasit.* Sejano, sui simillimo, scelerum repertori, cura Reip. mandata, ipse in Capreas insc. secessit, luxui & libidini nefandæ turpissimè deditus. *Sejanus*, innocentum infamis cædibus, uno minor Cæsare, hujus jussu cum universa domo necatus est, cujus interitum secuta mors Tiberii, qua mirificè populus Rom. lætatus est, aliis clamitantibus: *Tiberium in Tiberim*, aliis, *terram matrem Deosque manes ornantibus*, 14.

hui, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios darent. Ejus Symbolum: *Boni Pastoris est tondere pecus, non deglubere. Herodes Antipas*, Magni Filius *Johannem Baptistam*, incestum ejus acri justâque voce castigantem, in vincula conjicit & paulò post, roga-
30. tu saltatriculæ, occidit An. C. 30. *Jesus Christus* dicto factoque potens veri Magister à Juda proditus, à Pilato, Judææ Præside (dignitate hic motus non multò post ipse sibi mortem conscivit, eandem, quam Judas proditor, ingressus viam) damnatus patitur, moritur, resurgit, in cœlum
33. ascendit. A. 33.

37. 3. C. *Caligula* An. C. 37. à castrensi calceamento sic appellatus, monstrum verius, quam homo, de quo *Tiberium* dicere solitus est, *natricem se alere populo Rom. & Phaëthontem orbi terrarum*, divinam Majestatem sibi arrogavit, à quibusdam salutatus *Jupiter Latialis*; hinc cum adorandum se mirificè excultum præberet, Gallus quidam

dam sutor risum clarè sustulit, quid rideret, interrogatus, μέγα, respondit. παραλήρημα, magnum deliramentum. In omnes crudelissimè sæviit, Lictori aut carnifici dicere solitus: *ita feri, ut mori sentiat*, unam cervicem pop. Rom. precabatur, quam uno ipse ictu abscinderet, at eventus mox docuit ipsum habere unam cervicem & populum manus multas, dum à *Cassio* & *Sabino* Tribunis aliisq; conjuratis, quibus signum erat datum *Repete*, triginta vulneribus confectus est. Cæsa etiam *Cæsonia* uxor & infans filia paricti allisa. Dictum ejus: *Oderint, dum metuant. Omnia mihi & in omnes licent.* Frequenter etiam Homericum illud usurpavit: εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς.

4. *Tiberius Claudius Drusus* Liviæ ex Druso nepos, An. C. 41. Væcors & stolidus, ab ipsa Matre *Antonia* portentum naturæ dictus, non tam regit ille, quàm regitur à Libertis suis, *Narcisso*

ciſſo potiſſimum & *Palante*. *Meſſalinam* habuit Uxorum impudiciſſimam, quæ abſente Claudio, palam cum *C. Silio* nuptias Romæ agitavit, eâ tandem tot infami flagitiis necatâ, uxorem duxit *Agrippinam*, cujus filium ex Domitio Ænobarbo, *Neronem* adoptavit, excluſo *Britannico*, quem ex Meſſalina genuerat. *Herodes Agrippa*, Magni nepos, cui vinculis exemto Cajus pro ferrea auream dederat catenam, *Claudii* hujus beneficio regnum obtinet Judææ, & Jacobum Apoſtolum nefariè occidit, *Petrum* in vincula conjicit, quo de in Actis, at idem Cæſareæ, dum regiam ſuam magnificentiam oſtentans, ab adulante multitudine Deus ſalutatur, ab Angelo Domini percuſſus, concidit, & quinto die, verminante intus corpore, in ultimo cruciatu perit. *Paulus* plurimas gentes Chriſti notitia imbuit, etiam *Petrus* cæterique Apoſtoli, editis miraculis, Evangelicam doctrinam latiſſimè divulgarunt, propagârunt,

runt castigato *Simone Mago* hæresiarcha, qui magicis artibus statuam Romæ meruit cum hac epigraphe: *Simoni Sancto Deo*; eundem ope Dæmonis volantem, populo ut imponeret, prece dejecisse Petrum perhibent populoque inspectante disruptum. *Claudius*, dato ab Agrippina veneno, necatus, Neroni privigno reliquit imperium. Symbolum ejus: *Virtus generis Nobilitas.*

§. *Domitius Nero*, post adoptionem *Claudius* dictus A. C. 54. histrio melior, quàm Imperator; primo quidem quinquennio laudabiliter impegravit, ediditque clementiæ non vulgaria specimina: nam monitus, ut sententiæ de supplicio cujusdam capite damnati ex more subscriberet, *vellem*, ajebat, *nescire literas*, quam vocem mirificè laudat Sen. l. 2. de Clem c. 1. unde Trajanus dicere solitus est cunctos Principes longè abesse à Neronis quinquennio. Magistros habuit *Burrhum*, rei militaris peritia; & 54.

Senecam, Sapientia præstantem, utrumque, mutatis moribus, necavit. *Britannicum* Fratrem è Claudio natum veneno sustulit, *Agrippinam*, matrem, *Octaviam* & *Poppæam* uxores, aliosque quàm plurimos interfecit, hinc, animo tortore occultum flagellum quatiente, fassus est materna se specie exagitari furiarum verberibus ac tædis ardentibus. Libidinibus fædissimis indulgens, nec suæ, nec alienæ pudicitiæ pepercit, tam profusæ luxuriæ, ut retibus aureis piscaretur, nullam vestem bis indueret, &c. unde cum deesset pecunia, si cui officium delegaret, adjiciebat: *scis, quid opus mihi sit, hoc agamus, ne quis quicquam habeat.* Romam incendit, culpa in Christianos rejecta, in quos palam primus Cæsarum sævit, eaque *Persecutio t. Petrum & Paullum* sustulit, quorum ille quidem cruci affixus est, hic capite truncatus. Tandem ob inauditam omnibus crudelitatem invisus, desertus à suis & hostis

hostis à Senatu judicatus, fugit & cognito adesse, qui è fuga retractum ad supplicium raperent, ferrum jugulo adegit, adjuvante trepidam manum Epaphrodito; intervenienti Centurioni *Seró* dixit, & *hæc est fides?* Vixit annos triginta, regnavit tredecim. Vid. Svet. in Vit. Ejus Symbolum: *Artem quævis terra alit.* Idem Priamum beatum prædicabat, qui patriam cum regno perditam vidisset. Judæa rebellis, ad ultimum exitium jam pæne matura, gravissimis agitatur motibus bellisque, & Solymæ æneæ Templi porta sponte patefacta, vox audita est: *Migremus hinc*, solitudinem & discessum Numinis indicans.

6. *Galba. Otho. Vitellius.* Hi tres uno biennio Imperium degustârunt potius, quàm perceperunt A.C. 68. *Ser.* 68. *vius Sulpitius Galba* ob sævitiam & avaritiam, quodque trium scelleratorum hominum, quos *Pædagogos Principis* vulgò vocabant, arbitrio regeretur, invisus à militibus, severioris

disciplinæ insvetis, occisus est. Ad primum tumultum proclamâsse fertur: *quid agitis, Commilitones, ego vester sum & vos mei.* Caput à gregario milite amputatum, ad Othonem delatum est, qui lixis & calonibus donavit. Ejus dictum: *Miles legendus, non emendus*, quo dicto militem, donativum poscentem, gravissimè offendit. *M. Salvius Otho*, cum de imperio decertandum ei esset, sua se manu interemit nonagesimo quinto Imperii die. Quam ille charus militibus fuerit, inde patuit, quod non pauci, viso ejus corpore, mortem sibi consciverint. Dictum ejus: *Unus pro multis*: melius sc. est unum pro multis, quàm multos pro uno interire.

Aulus Vitellius Othoni succedit, homo immodicæ gulæ ac pronus in cujusque necem; qui, cum coram quempiam interfici jussisset, *velle se*, dixit, *oculos pascere*; at non multò post oculos ipse hostium pavit, dum religatis post tergum manibus injecto

cto cervicibus laqueo, seminudus in forum protractus, minutissimis ictibus octavo imperii mense, excarnificatus & confectus, unco in Tiberim tractus est. Ejus dictum: *Optimè olet occisus hostis, melius civis.*

7. *Fl. Vespasianus* An. C. 69. Princeps post Augustum optimus, nullius ille unquam cæde lætatus, justis etiam suppliciis illacrymavit & ingemuit; Avaritiæ tamen crimine infamis fuit, ut qui urinæ vectigal commentus est, & affirmavit Procuratoribus suis se uti pro spongiis, eo quod & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Ab hoc & Tito Filio Hierosolyma, Deo vindice, flamma ferroque excisa A. C. 70. Ejus dictum: *Bonus lucri odor ex re qualibet.* Item *Stantem Imperatorem mori decet.* 70.

8. *T. Vespasianus* A. C. 79. *Amor & delicia generis humani* dictus ob singularem clementiam & liberalitatem, qui cum toto die nihil cui- 79.

quam boni præstitisset, memorabilem hanc vocem edidit: *Amici diem perdidi*, negavitque quemquam à sermone Principis oportere tristem discedere. In ejus incidit tempora incendium Vesuvii montis, quo *Plinius Major*, improvidus novæ rei spectator & indagator, interiit, Titi dictum: *Princeps orbis amor bonus.*

9. *Flavius Domitianus*, Patri, Fratrique dissimilis, crudelis & impius A. C. 81. 81. cum eo de pluviis, aut imbribus, aut nimboso vere locuturi fatum pendebat Amici. Sub eo *Persecutio II.* fuit Christianorum, in qua S. Johannes relegatus est in Pathmum insulam, ubi divinam ille revelationem vidit, quæ in Codice sacro legitur. Hoc tempore floruêre *Cornel. Tacitus* Histor. *Juvenalis & Martialis* Poëtæ, item *Epictetus*, cujus Epitaphium tale legitur:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σῶματι πηρὸς,
καὶ πενίην Ἶρος καὶ φίλος ἀθανάτοις.

In-

Invisus tandem omnibus ob sævitiam, multis confossus est vulneribus, auctore cædis *Parthenia*: paucis ante mẽsibus cornicem in Capitolio ferunt eloquutam esse: ἔσται πάντα καλῶς, id non nemo ita interpretatus est:

Nuper *Tarpejo* quæ sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere, dixit; *Erit.*

Etiam *Apollonius* quidam Magus Ephesi ea hora, quæ cæsus est Domitianus, exclamavit: *Recte Stephane, euge Stephane, percute homicidam, percussisti, vulnerâsti, occidisti.* Domitiani Symbolum: *Fallax bonum Regnum.*

10. *Coccejus Nerva* A.C. 96. Imperator prudens ac moderatus. Statuas 96.
ille aureas argenteasque sustulit, sibi ullas poni vetuit: indultu ejus *Johannes* Apost. è Pathmo Ephesum rediit seque opposuit hæreticis, *Ebioni* & *Cerintho*, qui divinitatem Christi negebant, ut & *Nicolaitis*, qui JESU merito partam nobis esse peccan-

di libertatem impiè statuebant. Nerva Imperio se gerendo imparem esse ratus, mense 16. eo se abdicavit & adscendens in Capitolium, magna voce, *Quod felix faustumque sit*, inquit, *Senatui populoq; Romano mihiq; ipsi, M. Ulpium Nervam Trajanum adopto!* atq; ita sanguinis conjunctioni publicam præposuit utilitatem. Ejus Symbolum: *Regnum mens bona possidet.*

11. *M. Ulpius Nerva Trajanus* A. C. 97. Hispanus natione, pace & bello optimus, unde nata vox populi, Imperatori novo acclamantis: *Sis felicior Augusto, melior Trajano.* Ad senatum missis literis promisit, nunquam suo jussu bonum virum occisum iri. Idem cum gladium pro more tradidit Præfecto Prætorio, adjecit; *hoc pro me, si juste imperavero; si perperam, in perniciem meam utere.* Dacos com Rege suo *Decebalo* vicit domuitque, ponte in Istro facto mirandi operis, hinc *Dacius* dictus est, à Senatu *Optimus.* Christianæ tamen fidei in-

infensior *persecutionem* movit, *quæ III. est*, inque ea bestiis objectus est *Ignatius*, Episcopus Antiochenus; *Clemens* Episc. Romanus decollatus est. Eo imperante floruerunt *Plinius Minor*, cujus ad Trajanum extant epistolæ, *Plutarchus*, *Svetonius*, *Lucianus* ille ἀθεος & omnium irrisor Religionum. Trajani dictum: *Qualis Rex, talis grex. Item: talis Imperator ero privatis, quales esse mihi Imperatores privatus optavi.*

12. *Ælius Adrianus* An. C. 117. ingenio moribusque varius. Britanniam adiit & muro minorem à Majore divisit; jocis delectatus, Floro scribenti: *ego nolo Cæsar esse, vol'tare per Sicambros, ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas*, rescripsit: *ego nolo Florus esse, ambulare per tabernas, latitare per popinas, culices pati rotundos.* Professores Artium, ut doctior, risit & contemsit, unde & Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium prætulit. Equo suo *Boryslheni* 117.

monumentum construxit. Pro eversa Hierosolyma aliam urbem condidit, eamque *Æliam Capitolinam* dixit, adjuncto Templo Jovis Capitolini; Christianis æquè ac Judæis gravis; qui Ducem secuti, impostorem quendam, qui *Barchochebam* i. e. stellæ filium se dixit, ingentes, ingenti suo malo, movere turbas. Præfectum Prætorio Adrianus habuit *Similem*, qui, cum missione ab Adriano impetrata, septem annos ruri exegisset, sepulchro suo inscribi jussit: *Hic jacet Similis, cujus ætas multorum annorum fuit, at septem duntaxat annos vixit.* Sub vitæ finem crudelior, quosvis quacunque de causa invisos sibi & suspectos occidit & in his *Severianum*, qui antequam jugulabatur, ture incenso, *Vos*, inquit, *Dii, testor, me nihil mali commisisse, de Adriano, imprecor, ut cum mori cupiet, non possit*, id quod etiam evenit: nam lenta morte in maximo cruciatu Adrianus mortuus est, morte sæpe frustra invo-

cat

cata, venenum poscens & gladium, exclamavit: *Multitudo Medicorum Regem perdidit.* Ultima ejus verba fuisse dicuntur: *Animula vagula, blandula, hospes comesque corporis, quæ nunc abibis in loca pallidula, rigida, nudula, nec, ut soles, dabis jocos.* Symbolum. *Non mihi, sed populo*, scil. Imperium gesturus sum. *Æmilium Verum* Cæsarem Adrianus designavit, qui cum tenerrimæ esset valetudinis, de eo Adrianus, *ostendent*, ajebat, *terris hunc tantum fata.* Hic ante Adrianum decessit.

13. *Antonius Pius* A. C. 137. ingenio clarus, moribus clemens, alter Numa. Ab omni ille bello abhorrens sine civili sanguine & hostili Remp. administravit, otiosis salaria subtraxit, sordidum esse dicens, si Remp. is arrodat, qui nihil in eam cõmodi conferat: contra Philosophis honores & stipendia ampliſſima contulit, expeditiones nullas obiit, gravem esse affirmans provincialibus co- 137.

mitatum Principis, etiam nimis parci. Hæretici prodiêre *Basilides*, *Saturnius*, *Marcion*, quem primogenitum Satanæ dixit *Polycarpus*. Floruit *Galenus* Med. & *Ælianus* Historicus. Iniquior in Christianos Imperator Apologia *Justini*, Philos. Christiani aliorumque placatus est. Ejus Symbolum: *Civem unum servare melo, quàm mille hostes perdere.*

14. *M. Antonius Philosophus* & *L. Antonius Verus*: Fratres moribus
161. dissimillimis, A.C. 161. *Marcus* Philosophiæ studio maximè deditus, etiam in Senectute Magistrum adire non erubuit, illud Platonis in ore semper habens, beatas esse Resp. si Philosophi imperent, aut Imperatores philosophentur. *L. Verus* luxuriæ addictus, non obrutus fuit vitiis, nec abundavit virtutibus. Marcus tamen Frater ea Fratris vitia, quantum potuit, celavit, toleravit, ut & mores *Faustinæ* Uxoris, adulteriis infamis. Cum Marcomannis & Quadis bellum gessit,

gessit, in quo Legio Christiana, copiis Romanis ab hoste obsessis & siti laborantibus, precibus à Deo pluvias, in hostes fulmina impetravit, inde dicta *Legio Fulminatrix*; quapropter Imperator *Persecutionem IV.* quæ *Justinum* & *Polycarpum* sustulit, inhibuit, Princeps per omnia moderatissimus. Plurimas ejus laudes leges apud Anton. de Guevara in Horologio Principum. Fatali lecto decumbens Amicis discedentibus, *valete*, dixit, *vos præcedo*, & interrogatus, cui Filium commendaret, respondit: *Vobis*, si *dignus fuerit*, *& Deo*, at multò ille felicior fuisset, si Filium non habuisset. Symbolum ejus: *Regni Clementia custos.* Veri: *Nihil obiter*, nempe Princeps circumspectè prudenterque agat, quicquid agit.

15. *L. Commodus Antoninus* Antonini Fil. (alii ex gladiatore quodam & Faustina, Imperatrice impudicissima, natum ferunt) filius de-

gener A. C. 180. Pater quidem inculpatis vita doctrinaque Magistris plurimis informandum eum tradidit, at nullo successu, dum & Domitiano sævior, nec Nerone purior, ante modum finemque non fecit sævitiæ libidinisque, quam vivere desiit, Christianis tamen pacem à Patre datam præstitit. Tandem *Narcissus*, validissimus palæstrita, hominem sceleratissimum compressis extinxit faucibus, ea cæde cognita Senatus eundem hostem Deorum hominumque judicavit, omniumque vox fuit: *Hosti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, parricida trahatur, hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lanietur. Jupiter Opt. Max. serva nobis Pertinacem*: ad hunc enim, cæso Commodo, imperium delatum est. Symbolum Commodi: *Pedetentum.*

192. 16. *Helvius Pertinax* A. C. 192. Pilam ille fortunæ se dixit, ex Grammatico miles, ex milite Consul, Urbis

Præ-

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0112
Mecklenburg Vorpommern

Præfectus, Imperator, at cum blandus magis, quàm beneficus, corruptissimis militi moribus, non probaretur, ejus furore vix tribus in imperio mensibus exactis, oppressus & in palatio confossus est, emitque Imperium *M. Didius Julianus*, eruditione, quàm animo melior, ideoque invisus S. P. Q. Romano, exercitibus ab eo etiam deficientibus, capitis damnatus est & coactus secandam percussoribus præbere cervicem; abscissum caput in rostris positum. Symbolum Pertinacis: *Militemus.* Juliani: *In pretio pretium.*

17. *Septimius Severus* A. C. 194. verè severus re, nomine. *Pescennium Nigrum*, bellatorem egregium, Imperii æmulum, cujus hoc celebratur dictum: *vivus ego placere volo, laudari mortuus*, victum occidit; ut & *Albinum* in Gallis dominantem; civitatis Principes necavit, Plautianum, ipsius pœne Imperatoris Imperatorem, hominem potentem & factiosum, qui 194.

&

& Plautillam, filiam Filio Severi collocârat, cum omni familia interemit; Christianis etiam infensus *Irenæum* Episc. Lugdunensem, cum omni ferè populo interfecit, quæ fuit *Persecutio V.* Tandem in Britanniam suscepit expeditionem, ductoque muro per Insulam transversam, Eboraci obiit. Extrema ejus fuêre verba: *Turbatam Remp. accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, firmum Imperium Antoninis meis, si boni erunt, imbecillum, si mali.* Filiis verò, *locupletate*, dixit, *milites, cæteros omnes contemnite.* Symbolum: *Laboremus.* Item: *omnia fui, & nihil profuit.*

18. *Antoninus Bassianus Caracalla*
211. Patri successit An. C. 211. Is Fratrem *Getam* in ipso Matris Juliæ sinu interemit, ut & *Papinianum* JCtum defendere factum recusantem, cum diceret parricidium tam facilè non excusari, quàm fieri. Facinoris illius infamiam ut mitigaret, *Divum* fratrem appellavit, adjiciens: *sit Divus,*

vus, dum non sit vivus. Juliam novercam, dicentem licere ipsi, quicquid libeat, cum Imperatoris sit leges dare, non accipere, pro Uxore habuit, hinc multa crudelitatis & libidinis exempla cum edidisset, astu *Macrini*, quem Prætorio præfecerat, in Mesopotamiâ occisus perit. Floruit tum temporis *Origenes* à continuis studiis *Adamantinus* dictus, quem antecessit *Tertullianus*. Caracallæ Symbolum: *omnis in ferro salus.* Getæ: *Nulla fides regni.*

19. *Opilius Macrinus* A. C. 217. obscurissimo natus loco Imperium arripuit, cæso Bassiano, idque hujus potius odio, quàm sua virtute obtinuit: at bello contra Parthos suscepto, cum militi minus, quàm Bassianus, indulgeret, re etiam infeliciter gesta, pacem ab hoste redimere cogeretur, major pars exercitus ad *Varium*, Bassiani nepotem, defecit ipseque cum Filio *Diadumeno* ob intempestivam asperitatem à militibus interfectus 217

est.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0115
Mecklenburg Vorpommern

est Symbolum ejus: *Ferendum & sperandum.*

20. *Varius Antoninus Heliogabalus*

218 A. C. 18. Syrum illud Idolum, cui nomen fuit Heliogabalus, ab omnibus coli voluit, cui & hostiis humanis litavit, ejusdem Sacerdos, unde & nomen ipsi inditum est; aliàs *Gabalus* furca est & usurpatur pro homine scelerato & cruce digno, ut carcerem dicimus hominem dignum, qui ob maleficia in carcerem detrudatur. Hic *Varius*, omnium libidinum scelerumque mancipium, ea fecit & passus est, quæ pudor commemorare vetat; Matrem *Semiamiram* secum in Senatum adduxit, ad ejus omnia agens arbitrium; in calceamentis gemmas & quidem sculptas gestavit; semper aut inter flores sedit, aut inter odores pretiosos, alter Sardanapalus; hinc cum nihil, non dicam, Imperatore, sed homine dignum ageret, vitæ etiam Alexandri, quem adoptaverat, insidiaretur, milites impurissimum hominem

minem in latrina, ad quam confugerat, occiderunt, tractus deinde per publicum, in Tiberim abjectus est, annexo pondere, ne fluitaret & sepeliri posset; Mater unà occisa est, probrosissima mulier, cautumque est, ne unquam mulier in Senatum ingrederetur. Symbolum ejus: *Suus sibi quisque hæres proximus.*

12. *Alexander Severus* An. C. 222. 222
A moribus id nominis traxit, severiori disciplina militarem coercens fastum & luxuriam; militi tamen sua rectè stipendia præbuit, inquiens: *miles non timet Imperatorem, nisi vestitus, armatus, calceatus & satur & habens aliquid in Zonula, at mendicitas militaris ad omnem desperationem vocat armatum.* Literas amavit & literatos, & in his maximè *Ulpianum*, noti nominis JCtum. Idem Viros doctos de jure & publicis negotiis, milites veteranos, de re tractans militari, in consilium adhibuit; pretiosum vestitum odërat, dicens, in Virtute esse imperium, non

in

in decore positum, nihil auri in Templa intulit, illud Persii ingeminans: *in sanctis quid facit aurum?* Familiarium quendam, qui aliis persvaserat Imperatorem nutu suo regi, fumo necari jussit, Præcone dicente: *fumo pereat, qui fumos vendidit.* A fide Christiana non planè alienus, imaginem Christi in Larario suo habuit, Origenem interdum audiit, neque aula Christianos excluſit. Illud Christi Servatoris: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, frequenter usurpavit, & in palatio scribi passim curavit. E Parthica expeditione feliciter peracta reversus, ad Germanicum bellum profectus est; ubi invisa, licèt justa, milite severitate offenso, prope Moguntiam cum Matre Mammæa cæsus est. Symbolum ejus: *Quod tibi, hoc alteri.*

22. *Julius Maximinus Thrax* A. C. 235. trucis homo animi vastique corporis, quippe qui rhedam onustam manu movisse unoque die 40. am-

235.

plius

plius carnis libras comedisse dicitur, unde ob inusitatum robur Milo, Hercules &c. propter crudelitatem dictus Cyclops, Busiris, Phalaris, uti in Senatum *Rom.* ita in Ecclesiæ Christianæ Doctores crudelissimè sæviit, quæ fuit *Persecutio VI.* hinc hostis à Senatu sævitiæ impatiente judicatus, Imperatores creati sunt *Maximus* & *Balbinus*, iisque in gratiam populi Cæsar adjunctus est *Gordianus*, nepos illius Gordiani, quem senem octogenarium, Virum gravissimum, exercitus Africani Imperatorem fecerant cum Filio; at hoc in acerrima pugna cæso, Pater ipse laqueo sibi vitam abruperat, metuens Maximini crudelitatem, at milites in Aquilejæ obsidione morantem occiderunt cum Filio, clamantes: *è pessimo genere ne catulus quidem relinquendus est.* Capita eorum contis præfixa Aquilejensibus monstrata, hinc Romam missa sunt, cadavera in profluentem projecta. Maximini dictum: *Quo major,*

jor, hoc laboriosior, Gordiani Patris: omnis vita supplicium, Filii: pro patria mori pulchrum.

23. *Maximus*, qui & *Pupienus* dictus est, & *Balbinus* beneficio Senatus
237. obtinet Imperium An. C. 237. Ille virtute clarior, quàm genere; hic genere nobilior, quàm virtute; uterque à Senatu, non milite lectus, huic invisus fuit, indignè ferenti has acclamationes Maximo Urbem intrante factas: *Sapienter electi Principes sic agunt; per Imperitos electi sic pereunt.* Orta itaque seditione, cui ansam præbuit ipsorum Principum discordia, dum Balbinus Maximum, ut ignobilem, Maximus Balbinum, ut imbellem & inutilem, contemsit, à militibus uterque cæsi sunt, & *Gordianus*, Augustus appellatus est. Maximi Symbolum: *Qui timetur, timet.* Balbini: *Bonis nocet, qui parcit malis.*

238. 24. *Antoninus Gordianus*. A. C. 238. cui nihil, præter ætatem, ad gerendum Imperium defuisse videtur.

Bel-

Bellum ille Persis inferentibus illaturus, uxorem duxit filiam *Misithei*, Viri doctissimi, cujus adjutus ususque consilio rem gessit feliciter; eo verò, vel morbo, vel Philippi dolo sublato, paulò post ipse Gordianus, eodem vel jubente, vel connivente, à militibus occisus est, percussores ejus omnes sua manu & iisdem gladiis, quibus ipsum percusserant, interiisse dicuntur. Gordiani Symbolum: *Princeps miser, quem latet veritas.*

25. *M. Julius Philippus Arabs cum Filio* A. C. 244. Christianismum hunc amplexum perhibent & baptizatum esse cum filio ἀγελάρχῳ; at Scaliger dissentit. Annum Urbis millesimum ludis ille omnium generum celebravit magnificentissimè: at sexto imperii anno exercitus ab eo deficientes Decium imperare jusserunt, quo cum acie confligens cecidit in prælio, Filius Romæ interficitur. Ejus Symbolum: *Malitia regno idonea*; regnandi scilicet gratia jus sæpe violandum est. 244.

Filii:

Filii: *Multa nec apta*, nempe non est ejusdem & multa, & opportuna dicere. Origenes hoc tempore floruit, qui Arabum hæresin confutavit, animas cum corporibus exstinctas cum iisdem resurrecturas esse statuentium.

249. 25. *Decius cum Filio* Ann C. 249. acerrimus christianorum hostis, auctor fuit *Persecutionis VII.* cum Gothis confligens Filium in conflictu amisit, at ipse hac clade nihil motus Amicis solatia afferentibus, unius, ait, militis detrimentum parum sibi videri. Hinc hostes denuò apud paludem invasit haustusque voraginibus periit, neque cadaver ejus reperiri potuit. Patris Symbolum: *Apex Magistratus auctoritas* Filii: *Fugitivo nulla corona.*

251. 27. *Vibius Gallus cum Filio Volusiano* A.C. 251. & hi graves christianis, nec feliciter, nec diu regnarunt cumque nonnulli vario cruciatu metuve victi idolis immolarent, in quibus ipse fuit

Orige-

Origenes; *Novatus*, novæ hæreſcos auctor, lapſis in perſecutione veniam denegavit, cujus ſectatores *Catharos*, i. puros ſe dixerunt. At, cum Imperatores negligentius rem adminiſtrarent publicam, *Æmylius Æmilianus*, Legionum in Pannonia Dux, feliciſſimè Scythas repulit, fudit, ea propter à militibus creatus Imperator, adverſus quem Gallus & Voluſianus cum exercitu profecti, à militibus ſuis, ſpe majoris præmii ad Æmyliani partes transeuntibus, occiſi ſunt; milites verò trimeſtri huic Imperatori, quod dederant, Imperium cum vita abſtulerunt ſtudio Valeriani. Symbolum Galli: *Nemo amicus idem & adulator.* Voluſiani: *Sine vano publica fama*, non temere eſt & planè negligendum, fama publica quod dictitat. Æmiliani: *non gens, ſed mens* Virtus ſcil. non ſanguinis generoſitas.

28. *Licinius Valerianus & Gallienus* *Fil.* A. C. 253. Ad ſupremam ille dignitatem per omnes honoris gradus aſcen- 253

dit; cum censor fuit, uno omnes ore dixerunt, *Valeriani tota vita censura est*: at Christianos idem, à Mago quodam depravatus, variis suppliciis exagitavit; eaque fuit *Persecutio VII.* quæ & *Cyprianum sustulit & Laurentium, crate adignem* tostum. Tyrannidis hujus ultore Deo, contagiosa lues & bellum orbi incubuere; Valerianus ipse à Sapore, Persarum Rege, captus, equum ascendenti, aliquamdiu pro scabello fuit; tandem cute detracta, necatus est. Sic Deus despumat ollas. Infeliciſſimum principem Filius in Deorum retulit numerum, Deumque fecit quem liberum facere non potuit, idem Patre, tanquam censore remoto, gaudeis & ludis vitam omnem deputavit, semper quærens, quid cænæ nobis esset? quæ voluptates parata? qui ludi? ea propter ab omnibus contemtus est, diverſique in diverſis provinciis Imperatores contra eum facti sunt *triginta Tyranni* ab Hiſtoricis dicti; in his fuit *Saloninus Valerianus*, cujus celebra-

lebratur dictum: *Magnum satellitium amor. C. Junius Cassius* dicere solitus: *Audentes fortuna timet*, item *Marius* quidam, qui uno die Imperator factus, altero imperare visus est, tertio jugulatus eo gladio, ipse quem fecerat. *Odenatus* verò Palmyrenorum Princeps, Orientem fortiter defendit, ipsum Saporem acie vicit ejusque thesauros & Satrapas cepit, quapropter *Gallienus*, qui diuturnius imperium Christianorum, quibus oneri non fuit, precibus debuisse videtur, participem eundem imperii fecit & Augustum appellavit. Odenato propinquorum insidiis cæso, *Zenobia* Uxor, virilis animi mulier, victricia latè per Orientem arma circumtulit, omniumque judicio *virago* meliùs, quàm Princeps mulierosus imperio potiretur. *Gallienus* à militibus suis, cum Mediolanum, quo confugerat *Aureolus* Anticæsar, oppugnaret, interfectus est, in christianos nitissimus, cætera socors & impius. Ejus dictum: *Prope adsum-*

mum, prope ad exitum, nempe negatum summis stare diu. Valeriani *non acerba, sed blanda* scilicet verba timere.

268. 29. *Flavius Claudius* A. C. 268. Aureolo victo & occiso accepit Imperium Gothos Scythasq́;, graves Imperio hostes, repressit fuditq;, at, biennio vix exacto, morbo periit, cui non Divi tantum nomen datum, sed & statua ex auro prope Jovis simulacrum & in Curia imago aurea posita est. *Quintillus* Frater, vir multæ moderationis, ei successit, quem Milites, ut gravem nimis & serium, septima decima Imperii die interemerunt. Alii metu Aureliani incisis à Medico venis, sponte exitium sumsisse perhibent. Claudii Symbolum: *Rex viva lex*. Quintilli: *honesta mors honesta turpitudo*.

270. 30. *Valerianus Aurelianus* A. C. 270. clarus arte militari militarem disciplinam rigidissimè exercuit, vicario suo scribens: *si vis Tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine; nemo*

pullum

pullum alienum rapiat, nemo ovem contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, in hospitio castè se agat, qui litem fecerit, vapulet, &c. proinde clarissimas victorias adeptus est, *Palmyrenos* (Palmyra, urbs Syriæ est potens & nobilis) vicit eorumque Reginam *Zenobiam*, formæ gratia, castitate, victoriis clarissimam, in triumpho duxit & *Tetricum* Anticæsarem, quem dedere se compulit, infensus tamen Christianis, auctor fuit Persecutionis IX. (qui IV. persecutionem Adriano tribuunt, hanc omittunt) anno Imperii sexto à militibus occisus. Symbolum ejus: *quò major, eò placabilior.*

31. *Claudius Tacitus* A. C. 276. vir 276
mitis, vitæ parcissimæ, ut qui sextarium vini toto die nunquam biberet, *Corn. Tacitum*, scriptorem Historiæ Augustæ, in omnibus Bibliothecis collocari jussit, iisdem, quibus privatus, togis est usus, holosericam vestem viris interdixit, gemmis uxorem uti vetuit,

Idem militari improbitate periit, eoque sublato *Florianus Fr.* imperium invasit, at victore *Probo* & ipse à suis interfectus est. Symbolum ejus: *Sibi bonus, aliis malus.* Flor. *Injuria unius mina multorum*, nempe qui uni facit injuriam, multis minatur.

277. 32. *Aurelius Probus* A. C. 277. militari suffragio Imperator, invitus suscipit Imperium, sæpe dicens: *non vobis milites, non mihi expedit: ego enim blandiri vobis non possum.* Cum Germanis feliciter prœliatus, *Bonosum* Imperii æmulum habuit, de quo Aurelianus Imp. dicere solitus est: *non ut vivat, natus est, sed ut bibat*, qui victus laqueo vitam finiit, dictusque per jocum est *Amphora pendens.* Ei etiam cessit *Saturninus*, qui Ægiptiis invito sibi acclamantibus, & imperium offerentibus, gratulantibus, *nescitis*, inquit, *quid mali sit imperare, gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminens hasta undique, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur:*

tur: Ipse id *Probus* paulò post exemplu suo comprobavit: nam cum hostibus victis pacatisque dixisset: *brevi milites frustra fore*, multo etiam labore milites oneraret, dicens: *nefas esse militem gratuitam comedere annonam*, ab offenso milite cæsus est. Sepulcro ejus inscriptum: *Hic Probus Imperator, & vere probus, situs est, victor omnium gentium barbararum, victor etiam Tyrannorum.* Probi dictum: *Prostipe labor* gratuitam scil. annonam miles non comedat.

33. *M. Aurelius Carus cum Filiis Numeriano & Carino* Ann. C. 282. 282
Persis victis, Persici Imperatoris nomen meruit *Carus*, at longius progressurus, fulmine conflagravit. *Numerianus*, bonis Princeps moribus, ab *Apro*, Socero suo, imperio inhiante, occisus est, quem Aprum deinde *Diocletianus* manu sua interfecit, Imperator à milite appellatus est; atque ita vaticinium impletum est, quo prædictum ei erat, Imperato-

rem fore, si Aprum occidisset. *Carinus* corruptissimis juvenis moribus, adeò ut Pater sæpè clamaret: *non est meus*, suorum insidiis periit. Symbolum Cari: *Bonus Dux, Bonus Comes.* Numeriani: *Esto, quod audis.* Carini: *cedendum multitudini.*

34. *Valerius Diocletianus, cognomine Jovius & Aurelius Maximianus, cognomine Herculeus* An. C. 284. Ecclesiæ Christi persecutores acerrimi, quæ fuit *Persecutio X.* & ultima & acerbissima; in ea Christianorum alii cremati vivi, alii lentis ignibus tosti, alii à bestiis, quarum nonnullæ abstinentes à Christianis in spectatores irruerunt, laniati sunt, nulli vel ætati, vel dignitati data venia. Legio Thebana, cum idolis jussa sacrificare recusaret, Maximiani imperio, immisso exercitu, tota concisa est. Præterea Diocletianus ea fuit insolentia, ut Dominum se dici & adorari, ut Deum, voluerit; Herculeus libidinibus turpissimè indulsit. At uterque novo & inaudito exemplo, cum Constantium Chlorum & Gale-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0130
Mecklenburg Vorpommern

rium Maximianum, quem & *Maximinum* appellitant, adoptassent Cæsares, privato habitu insignia mutarunt Imperii, viginti in eo annis actis. Symbolum Diocletiani: *Nihil difficilius, quàm bene imperare.* Maximiani: *Melius mori, quàm sibi vivere.*

35. *Fl. Constantius Chlorus & Galerius Maximianus*, qui cum pastor armentorum aliquando fuisset, *Armentarius* dictus est. An. C. 304. Princeps ille egregius pacem indulget Christianis & per simulationem Christianos aula ejicit, revocaturus, quos constantes in fide sua reperisset. Contra hic acerrimè Christianos persecutus, verè draconem se præstitit, ex dracone Matrem se concepisse affirmare solitus; idem verò, verminante toto corpore, in ultimo cruciatu miserrimè interiit, hinc tanto dolore victus, crudelia retractavit edicta, libertatem Christianis reddidit, suamque eorum precibus salutem commendavit, at sera homini sceleratissimo pœniten- 304.

tia nihil profuit. Galerius cæsarea creavit Severum Maximinum, Severo cæso, Licinium Romæ verò milites Prætoriani Maxentium, Herculei Filium, Augustum uuncuparunt. Symbolum Constantii, *Virtus, dum patitur, vincit.* Galerii: *Tutum silentii præmium.* Severi: *Semen Ecclesiæ sanguis piorum.* Maximini: *marcet sine adversario Virtus.* Licinii: *pestis Reip. litera.* Maxentii: *Phryx plagis emendatur.*

Periodus VII.

A Constantino M. usque ad Carolum M. ab Ann. C. 306. ad A. C. 800.

I.

Constantinus, Constantii ex Helena Filius, Imperator christianus
306. A. C. 306. Initia Imperii ille habuit turbulentissima, dum Maxentius, Galerio par crudelitate, moribus deterior, in Occidente, in Oriente Maximinus Idolomaniam pro virili sua stu-

bil

bilitum, christianismum extirpatum iverunt, crudeli christianis supplicio affectis; hinc, Deo vindice, ingentes orbem clades obruere, & fame, & peste latissimè grassantibus, neque Licinium, qui Constantini sororem, constantiam, in matrimonio habebat, imperii consors, collegæ pietas ab odio Christi & impia Numinum veneratione avertere potuit, at Maxentius, acie victus à constantino (meridiano huic tempore crucem in cœlo lucidissimam apparuisse ferunt cum hac inscriptione: *In hoc vinces*) equo lapsus & aquis mersus miserrimè periit, lætante cum plebe Senatu. Maximinus fœdissimo morbocorreptus, invocata crebro morte, cum execratione vitæ ante actæ, in acerbissimo dolore expiravit. Licinius, cum Imperii insignia deponere coactus, novas res moliretur, jugulari jussus est, atque ita sublatis Tyrannis, Constantinus Ecclesiæ halcyonia concessit optatissima, Imperii consortem fecit Jul.

Crispum, qui Faustæ novercæ dolo occisus est, Concilium habuit Nicenum, in quo damnata est hæresis Ariana An.
325. C. 325. *Arius* negans *Christum* Dei Filium patri esse ὁμοούσιον cum factione sua in exilium actus. Ne Episcopis matrimonio interdiceretur, *Paphnutii*, cœlibis licet, auctoritas obstitit; cumque *Acesius* Episc. Novatianus Lapsos pœnitentes communione Christi excludendos esse diceret, Constantinus *scalam*, ajebat, *erige & in cœlum solus ascende.* Arius verò, cum per simulationem in fidem Nicænam jurasset, aliam sub axilla gerens, delusus à veteratore Princeps atque à sycophantis, quibus nisi aurem præbuisset, felicius imperasset, persuasus, Athanasium, strenuum orthodoxæ fidei Confessorem, in exilium egit, Arium publicè recipi jussit, qui in Templum ingenti suorum pompa deducendus, torminibus subitò correptus, fœdam animam cum visceribus fœdo in loco profudit. Constantinus Imperii sedem

dem Româ Byzantium transtulit, eamq; urbem de suo nomine dixit *Constantinopolin* Locum sepulturæ Dominicæ templo exornari jussit, urbe addita, cui *novæ Hierosolymæ* nomen datum. Quæ de Constantini donatione fabulantur Pontificii Pontifici Romano facta, ab omni Historiæ vetitate alieniſſima sunt. *Helena* Augusta, Principis Mater, Basilicam circa antrum Nativitatis constituit. Tandem laudatiſſimus Imperator in itinere suma cum lætitia baptizatus decessit atque ad superos migravit. Constantini M. Symbolum: *Immedicabile vulnus ense recidendum.* Crispi: *Homo, non homo, iratus.*

2. Successores Constantinus reliquit tres Filios. *Constantinum*, *Constantem* & *Constantium* A. C. 337. Distributo inter hos Imperio, Constantinus *Athanasio* ex decreto Patris restituto, Constanti Fr. bellum movit & prope Aquilejam cæsus est; eodem non multò post fato periit Constans, atq; ita Constantius solus Imperio præfuit, is Ma- 337.

gnentium, constante cæso, Imperatoriam usurpantem Majestatem profligavit ac mori coëgit Vetranioni dominationem arripienti, non tam armis quàm eloquentia victo & vitam & voluntarium otium concessit, Gallum patruelem cæsarem pronunciavit, quem tamen ob crudelitatem anno quarto Principatus capite mulctavit, in modum latronis cervice abscissa. Ariani verò faventem nacti Imperatorem, hæresin suam latè propagarunt. Nicænam Synodum corrumpentes & vocabulum ὁμοσίαν in ὁμοιοσίαν commutantes. *Athanasius* denuò relegatur, unà cum Episcopis, damnationi subscribere recusantibus. Hoc seculo prodit *Photinus*, divinitatem Christi, & Macedonius, divinitatem Spiritus Sancti negans, adversus quem habita Synodus constantinopolitana Oecum. II. Ann. C. 381. Symbolum constantini: *Difficilia, quæ pulchra*; constantis: *Crescente superbia, decrescit fortuna*, constan-

stantii: *Patiens sit Principis auris.* Magnentii: *Pudor juveni decus, seni decus.*

3. *Julianus Apostata* A. C. 361. Philosophorum, quibus Athenis operam dedit, suasu, abnegata fide christiana, hostili christianos odio prosecutus est, à cædibus tamen abstinuit, clausis Scholis, juventutem erudiri vetuit, fortunas christianis ademit, illudens his dicto Servatoris: *Beati pauperes.* Cum cœco cuidam Episcopo objecisset irridens, quod à Christo suo oculorum usum obtinere non posset, audacter ille, gratias, inquit, Christo ago, quod te tantam mundi pestem intueri non compellor. Christianis ægrè facturus, Templum Hierosolymitanum restaurare voluit, at flammis è terra erumpentibus opus interruptum impeditumque est. Tandem in expeditione Parthica, incerti hostis ictu percussus, periit, blasphemam hanc vocem eructans: *Vicisti Galilæe*, per con- 361.

contemtum ita Christum appellans. Juliani Symbolnm: *Pennis suis feriri grave.*

363. 4. *Jovianus* An. C. 363. cum Persis pacem fecit, necessariam quidem, cum extrema exercitus fame urgeretur, at turpem, iniquissimis Persarum postulatis annuendo. Octavo Imperii mense prunarum fœtore suffocatus decessit, suscepto clarior apice, quam gesto. Symbolum: *Scopus vitæ Christus.*

5. *Valentinianus cum Valente Fratre*

364. An. C. 364. Ille insigni miles roborc, Juliano milites idolis cogente sacrificare, tribunatu excidere maluit, quam fide, & Sacerdoti lustrales aquas aspergenti colaphum impegit; Imperatur factus *Valentem* Fratrem Augustum appellavit, & ipse quidem Mediolanum discessit in Occidente, Valens Constantinopolin in Oriente imperaturus; uterque Arianis impensè favit, non sinè gravi, & damno, & querela orthodoxæ Ecclesiæ, uter-

que

que etiam tam intestinis, quàm externis bellis agitati, sævitiæ suæ ac dementiæ dignas pependere pœnas & Valentinianus quidem obstructa subitò voce, velut è cœlo ictus, animam efflavit; Valens acie victus, cum casam rusticanam fugiens subiisset, igne subjecto vivus crematus est. Floruit eo tempore *Ambrosius*, Episcopus Mediolanensis, *Basilius M.* Scriptis vitaque clari Ecclesiæ Doctores, *Ausonius* Poëta, *Eutropius* Historicus. Dictum Valentiniani: *Princeps servator justus.* Valentis: *Alienus ab ira, alienus à justitia.*

6. *Gratianus cum Fratre Valentiniano II.* Occidentis Imperator fuit A. C. 375. Gratianus cibi somnique parcus, nec literis mediocriter institutus, feliciter rem gessit, Duce usus Theodosio, quem Valente Fratre interfecto, Thessalonicæ baptizatum in societatem imperii assumsit A. C. 379. Hic *Theodosyus*, moderatissimus Princeps, qui bella non movit, pacis studiosissimus, sed ea, quæ invenit, Deo benè

375

cœ-

cœpta fortunante, gloriosè confecit, cumque Maximus, nihil sibi honoris habenti Gratiano infensus, hunc fugâsset, extinxisset, Valentinianum II. regno expulisset, illius cædem, hujus exilium vindicavit Theodosius, victo & interemto Maximo. Ita Theodosius collegam in Occidente habuit Valentinianum II. puerum, cujus loco imperium moderabatur *Justina* Mater, idem Arbogastis Franci dolo strangulatus & laqueo suspensus est, ut voluntariam sibi mortem consciviisse putaretur. Hic *Arbogastes Eugenio*, viro doctissimo, pœne invito, titulum Imperatoris imponit, idolorum venerationem cum hoc suo Imperatore restituturus: at Theodosius, divino fretus auxilio, ingente turbine in ora hostium ruente, maximos hostium fudit exercitus, Eugenium interfecit, Arbogasten mori coëgit, hinc Claudianus de eo:

O pi-

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Idem tamen iræ nimium indulsit, dum, Præside suo à Thessalonicensibus per seditionem occiso, ultra septem hominum millia, circumdato Legionibus theatro, occidit, ea propter sacris prohibitus ab Ambrosio, publicè acta pœnitentia, ad cohibendam iracundiam lege sanxit, capitales sententias ad tricesimum diem differre. Ita Theodosius, acto felicissimè Imperio, vitæ peregit fabulam, de quo Ambrosius, *dilexi*, inquit, *Virum, qui in ultimis magis de Ecclesiæ statu quàm de suis periculis angebatur, qui magis arguentem, quàm adulantem, probabat.* Symbolum Gratiani: *non quamdiu, sed quam bene.* Valentiniani II, *Amicus veterrimus optimus.* Maximi: *nunquam periculum sine periculo vincitur.* Theodosii: *Eripere telum, non dare irato decet.*

7. Theo-

7. Theodosii Filii fuêre *Arcadius & Honorius*, hic Occidentis, ille Orientis Imperium occupavit.
395 An. C. 395. Præceptor eorum *Arsenius* fuit, quem cum stantem aliquando sedentes docere offendisset Theodosius, filios auscultare jussit stantes sedentem Magistrum, idem ex Aulico factus est eremita, iram metuens Arcadii ob plagas puero inflictas. Ob teneram autem Arcadio tutor datus est *Rufinus*, Honorio *Stilico*, qui & filiam pupillo collocavit Mariam; at uterque fide non bona egerunt, dum ille sibi, hic filio Eutherio quæsivit Imperium, ideoque proditores violenta morte perierunt. Juvenes Principes, Patris æmuli, idolorum fana destruxerunt & sustulerunt ludos gladiatorios, qui insanæ plebis studio ad id temporis remanserant; at Episcopus Constantinopolitanus *Johannes*, ob eloquentiam *Chrysostomus*, Orator oris aurei, dictus, dum li-

bera lingua Aulæ ac Purpuratorum taxat vitia, *Eudoxiæ* Augustæ iram in se concitat, quam consecutum est exilium, hinc populi studiò revocatus, cum in vitia liberius invehi non desineret, Herodiadem appellans Eudoxiam, Johannis caput in patina expetentem, denuò relegatus exul decessit & Arcadius XIV. Imperii anno, Eudoxia verò miserabili morte periit, fœtus sui sepulchrum facta. Arcadius reliquit Filium Octennem *Theodosium Juniorem*, quem *Pulcheria* Virgo, raræ castitatis ac pietatis exemplum, præclarè instituit & tutelam Imperii plurima cum laude gesit. In Occidente *Alaricus*, Westgothorum Rex, Romam obsidet ultimaque fame fatigatam capit, diripit Ann. C. 411. clementia tamen utitur victor iratus, venia cum vita his concessa, qui ad loca sacra confugerant. *Honorius* sprevit hanc cladem, nihil sollicitus

de

de urbe Principe recuperanda. Circa annum 400. Gallia potiti sunt *Franci* (ita dicebantur, quicunque in Germania *liberi* erant) eamque à se appellarunt *Franciam*. Apud hos Francos tres regiæ familiæ ordine regnârunt 1. *Merovingi*, sic dicti à Meroveo, tertio Francorum Rege, qui Urbem Parisiorum occupavit. 2. *Carolingi* à Carolo M. sic dicti. 3. *Capetingi*, ab Hugone Capeto usque ad nostra tempora. Vid. Cl. Horn. Orbis Polit. p. m. 377. Sub eodem floruêre Patres *Hieronymus & Augustinus*, qui *Pelagium*, hostem gratiæ divinæ ac nimium viribus humanis tribuentem in rebus spiritualibus, voce & scriptis confutavit, ob id dictus *Pelagianorum malleus*. *Claudianus* & *Prudentius* Poætæ. Symbolum Arcadii: *Summa cadunt subito*. Honorii: *Malè partum, malè dispersit.*

8. *Theodosio II.* Orientis Imperatore, *Honorio* succedit *Valentinia-*

nus

nus III ex Placidia, sorore Honorii, natus An. C. 425. *Genserico*, Vandalorum Rex, Africam vastat, Hipponam obsidet, cujus Episcopus *Augustinus* mense tertio obsidionis decedit An. C. 430. Tertia Synodo Oecumenica, Theodosii jussu instituta, damnatur *Nestorius*, nudum hominem ex Maria natum esse passumque affirmans, qui & corrosa à vermibus lingua, miserè periit. Contra *Eutyches* duas in Christo naturas confudit, quas divisit Nestorius. *Attila* Hunnorum Rex *Dei flagellum* dictus, multas Imperii Regiones populatur, Theodosio coacto anno pacem tributo redimere, rupto etiam fœdere, diuturna obsidione fatigat Aquilejam; cujus adventum Veneti reformidantes in Insulas transeunt, & Reip. futuræ, quæ nunc florentissima est, fundamenta jaciunt Ann. C. 424. idem populorum & Urbium cladibus quasi saturatus, reversus in Scythiam in toro nuptiali, cum vino maderet, 425

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0145
Mecklenburg Vorpommern

ret, intercluſis ſanguine, è naribus è-rumpente, faucibus, ſtertens ſuffoca-tus eſt. Attila furente *Picti & Scoti* Britanniam vexarunt, qui aliis de-ſtituti auxiliis, *Anglorum Saxonum* opem implorant; at hi non Pictos tantum & Scotos repulerunt, Duci-bus *Hengiſto* & *Horſto*, ſed ipſos et-iam *Britannos*, majoribus è Germa-nia copiis evocatis, tota ferè inſula pepulerunt, deleverunt, & ſeptem Regna *Anglo-Saxonica* conſtituerunt, quæ tandem Anno 800. ab *Egberto*, Veſt-Saxonum Rege in unum Angliæ corpus redacta ſunt. Paulò ante *Pſeudo Moſes* in Creta Judæis pro-mittit freta forè ipſis pervia, perſua-detque multis, ut in aquas deſiliant; qui omnes periêre miſerrimè. *Theodo-ſius*, cum codicem legum, à ſe di-ctum Theodoſianum, promulgâſ-ſet, deceſſit; *Valentinianus* cum *Aëtium*, Ducem belli clariſſimum fortiſſimumque, calumniis perſuaſus ſuâ manu interfeciſſet, ea propter à mi-

militibus in campo Martio occisus est. Hoc tempore septem Martyres è spelunca, in quam, tyrannidem Decii fugientes, concesserant, prodiisse dicuntur. Theodosii II. Symbolum: *Tempori cedendum.* Valentiniani: *Omnia mea mecum porto.*

9. Valentiniano in Occidente succedit *Maximus* A. C. 455. Theodosio *Martianus*, diligens pacis & religionis custos, dicere solitus arma non movenda esse, si pace frui liceat. Sub eo habita *Synodus Oecumenica IV. Chalcedonensis*, qua Eutychiana damnata hæresis est. Franci è Germania, duce *Meroveo*, Parisiis pulsis, eam Galliæ partem, quæ deinde *Franciæ* est dicta, occuparunt. Maximus *Eudociam*, quæ Theodosii ex Athenaide, Leontii Philosophi Filia, filia erat, conjugem Valentiniani, in matrimonium adscisit, cui cum per imprudentiam aperuisset suo Valentinianum consilio esse interemptum, illa privatum 455.

tum dolorem communi pernicie
solatura, Genſericum ex Africa per
literas accerſit; qui cum exercitu
advolans, lapidato in fuga Maximo,
Romam capit diripitque. Martiano
veneno ſublato, ſuccedit *Leo Thrax*,
qui moriens Imperium Leoni, ex filia
nepoti, legavit, quod, eo in infantia
extincto, rapuit Zeno. Maximum ſe-
456 quitur *Avitus* Ann. C. 456. Avitium
Majoranus Ann. C. 457. Hunc *Severus* An. C. 461. Severum *Anthemius* An. C. 467. hunc *Olybrius* An. C. 472. Olybrium *Glycerius* Ann. C. 473. *Julius Nepos* Ann. C. 474. quem Imperio exuit exutumque relegat in Dalmatiam *Oreſtes* Patritius, filiumque *Momyllum* creat Auguſtum, ob ſtaturæ brevitatem *Auguſtulum* appellatum. An. C. 475. At *Odoacer*, Herulorum Rex, ab amicis Nepotis invitatus, occupata Roma pulſoque Auguſtulo, Regem Italiæ ſe dicit & regni ſedem Ravennam eligit. Ita Auguſta Dignitas, in Auguſto quæ cœperat

in Augustulo expirat Anno C. 476. 476
Symbolum Martiani: *Regis clementia virtus.* Leonis Junioris: *Fide & diffide.*

10. *Theodoricus*, Ostrogothorum Rex, Princeps fortissimus, Thraciam populatus, cum ipsi Byzantio minaretur, Zeno Imperator Consulem eundem creavit eique persvasit, ut in Italiam, orbis illam dominam, adversus Odoacrum iret: tribus itaque præliis maximis Odoaro victo fugatoque, Italiam occupat Anno C. 493. Princeps ille, cætera non malus, Arianismo addictus, *Symmachum & Boëtium*, scriptis claros, innocentes interficit, hinc, piscis fortè appositò capite, caput videre sibi visus Symmachi, atrocia minantis, exhorrescit subitaque morte exstinguitur. *Clodovæus* Francorum R. Exercitu in prælio adversus Alemannos laborante, inclinata victoria, vovet, potitum se victoria, conjugis suæ Clotildis, quæ

Christiana erat, fidem accepturum; voti itaque compos factus, baptizatur à Remigio, Episcopo Rhemensi A. C. 489. Gothi Reges florent ad annum usque 568. quo *Alboinus* Longobardorum R. à quibus Lombardiæ nomen est, invitatis à *Narsete* Exarcho, Eunucho quidem, at strenuo Italiæ defensore, quem *Justinus* Imperator malo consilio exauctoraverat, Augusta ad colum & pensum revocaverat, submisso Longino, Italiam in potestatem redigit. *Longobardi* Italiæ Regnum tenuerunt usque ad annum 774. quo Desiderium, ultimum Regem Longobardorum, cepit Carolus M.

11. Jam ad Impp. Orientis redimus. Leoni I. successit *Zeno* Ann.
474 C. 474. corpore animoque turpis, quem vivum, ut ajunt, uxor *Ariadne* sepulchro inferri jussit. *Hunnericus*, Vandalorum Rex, in Africa Patre Genserico immanior, instinctu Arianorum, multa millia Orthodoxorum

xorum exilio aut morte mulctavit; idem verò, ultore Deo, verminante corpore, propriis se morsibus laniavit vitamque in acerbissimo cruciatu finiit. Zenonis dictum: *Malo nodo malus cuneus.*

12. Zenone sepulto, Ariadne ad Imperium pariter & conjugium evexit *Anastasium*, ob pupillas oculorum bicolores *Dicorum* dictum An. C. 491. 491. Hic Eutychianis favit eaque propter Orthodoxis infensus & invisus fuit, ferventiores etiam Doctores exilio mulctavit, nullâ inquiens sanguinis guttâ vindicaturum se contraria sentientes, modò quietè agerent. Eo tempore quidam, *Olympius*, SS. Trinitatem in balneis blasphemans, jaculo cœlo delapso percussus combustusque est. *Deuterius* Arianus, cum, mutatis Christi verbis quendam baptizaret in nomine Patris, per Filium in Spiritu Sancto, aqua subito disparuit. *Alamundarus* Saracenus, *Severi* Eutychiani fraudes le-

pidè eluſit, fingens in magna ſe eſſe mæſtitia, eo quod comperiſſet Michaelem Archangelum eſſe mortuum; cum enim ille negaſſet Angelum mori poſſe, repoſuit Alamundarus. quomodo ergò Chriſtus mori potuit, ſi non, niſi ſolum habuit divinitatem. *Anaſtaſius*, cum ab ictu fulminis ſibi mentem, orta tempeſtate, per cubiculum diſcurſaret, mortuus eſt inveturus. Paulò ante in ſomnis virum viderat horribili ſpecie, dicentem: en! ob perverſitatem fidei tuæ IV. tibi vitæ annos deleo. Anaſtaſii Dicori Symbolum; *Melitum venenum blanda oratio.* Circa A. C. 500. tres fratres, *Zech, Lech & Ruſs* ex Sclavoniæ ſive Croatia progreſſi, in Sarmatia tria condidere regna, *Bohemiam, Poloniam, Ruſſiam. Zechus* occupavit Bohemiam, Poloniam *Lechus*, *Ruſs* Muſcoviam: unde Bohemi dicti *Zechi*, Poloni *Lechi*; Muſcovitæ *Ruſſi.*

13. Ju-

13. *Justinus* Thrax, è subulco miles, è milite Tribunus, ex Tribuno tandem Imperator An. C. 518. Orthodoxæ fidei defensor, quos relegarat Anastasius, revocavit, infensus & Arianis & Eutychianis, qua re offendit Theodoricum in Italia dominantem, Ariana hæresi infectum, hinc Johannes Papa, Symmachus, Boëtius, aliique Roma Constantinopolin venerunt & rogarunt Justinum, ne sua in hæreticos austeritate Theodoricum in Catholicos efferaret, qui cum honorificè essent accepti, ira exarsit Theodoricus, arbitratus, cum Juliano Legatos suos in suam perniciem conjurasse: unde Johannem reversum, in carcerem conjecit, Symmachum & Boëtium gladio punivit, quo desupra. Successore designato Justiniano, Imperii anno IX. decessit Imperator analphabetus Justinus. Ejus Symbolum: *Cujus pudet, pigeat.* 518

14. *Justinianus*, Justini sorore genitus, Augustus appellatus est An. C. 527. Hic *Triboniano* cæterisque JCtis negotium dedit, ut jus vetus in paucos libros digererent, unde Codex, Digesta, Juris institutiones natæ. Ipsius auspiciis bellicas res præclarè administrat *Belisarius*, qui, victis Vandalis; Africam recipit eorumque Regem, cui nomen fuit *Gilimer*, cepit, is in Triumpho exhibitus Justiniano Imp. eundem cum regio considentem throno vidisset, irrisit vanitatem luxumque aulicum, identidem exclamans: *Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas.* Romam etiam, Gothis pulsis & *Vitige* Rege abducto, occupavit, quam tamen recuperavit *Totilas*, oppressus tandem cum suis à *Narsete*, qui Urbem & Italiam sub imperium Justiniani redire coëgit. Belisarius interim adversus *Cosroën* Persam feliciter belligeravit, at ultima senectute conjurationis falsò insimulatus carceris molestias subiit, quanquam

527

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0154
Mecklenburg Vorpommern

quam anno sequenti in integrum restitutus, incolumem sepulchro gloriam intulit, vulgò ferunt ostiatim stipem emendicasse, hac usum formula: Date obulum Belisario, quem virtus extulit, invidia cæcavit, at fabula est. Hoc certum Imperatoris jussu numisma sparsum in vulgus, triumphante Bellisario, cum hac inscriptione: *Belisarius, Romanorum decus.* Sub Justiniano habitum concilium V. Constantinopolitanum, in quo damnati *Origenistæ* aliique, qui supplicium infernalium finem aliquando fore statuerunt, dicti *Misericordes.* Idem Imperator ædificatorum nimius, ideoque gravis suæ subditis potestati, *Sophiæ templum* magnificentissimum exstruxit Constantinopoli: Symbolum: *Summum jus, summa injuria.*

15. *Justinus II.* Justiniani nepos Imperator vacors & lascivus Ann. C. 565. melior auri custos, quàm Imperii, hinc *Cosroës* ejusque filius *Hormuda* 565

misda Imperium graviter afflixerunt, Longobardis Italiam vastantibus, Duce *Alboino*. Hic *Cunimundo*, Rege Gepidarum, interfecto, filiam ejus *Rosimundam* uxorem duxerat, cui cum aliquando poculum propinasset, quod è cranio Patris confectum erat, illudens jusserat eandem cum patre suo bibere, hinc ira illa incensa cum *Helmiche*, Armigero Regis, in necem mariti conspirat, peracta cæde unà cum Helmiche ad *Longinum*, Exarchum Italiæ, confugit & mox novis sollicitata amoribus, veneni poculum Helmichæ propinavit, qui, fraude animadversa, antequam concidit, ipsam, quod reliquum erat, habere coëgit. Ita nunquam antecedentem scelestum deserit pede pœna claudo. Justini Symbolum: *libertas res inæstimabilis.*

16. *Tiberius II.* Justitia & Munificentia in pauperes clarus Anno C. 578 578. hunc & præter spem maximus thesau-

thesauros reperit, dum tabulam marmoream cruce insignitam, ne pedibus calcaretur, tolli jussit, & feliciter hostiles rëpulit incursiones. *Mauritium*, belli Ducem, generum sibi cooptavit, cui imperium relinquens, *Sceptrum dixit nunc immoderata potestatis, sed splendidæ potius servitutis habendum esse insigne.* Symbolum ejus: *Stips pauperum, thesaurus divitum.*

17. *Mauritius* Cappadox. Anno C. 582. Virtutibus rebusque gestis illustris, at avaritia infamis: nam, cum Rex Avarum, *Caganus* duodecim millia Rom. militum cepisset, parvo eadem pretio redimere recusavit, ideoque ab hoste barbaro captivi omnes miserrimè contrucidati sunt; paulò post Mauritius in somnis sibi visus est ante tribunal Christi interrogari, *ubi vis, reddam tibi, in hoc, an in futuro seculo,* respondit ille illicò: *Amator hominum, Domine, & Judex juste, in* 582

hoc, non illo seculo, hinc à Phoca, Centurione suo, cum omni familia interemtus, spectato suorum exitio exclamavit: *Justus es, Domine, & recta sunt judicia tua.* Tiberis muros Urbis supergressus est eamque inundationem consecuta est pestilentiæ lues fœdissima, quam *Gregorius* M. Pontifex pius litaniis depulisse dicitur. Symbolum Mauritii: *Quod timidum, idem crudele.*

18. *Phocas* Tyrannus, ut acquisi-
602. vit potestatem, ita gessit Ann. C. 602. Cædibus ac stupris infamem Heraclius æneo camino inclusum exussit. Hic Phocas ambitiosis postulatis *Bonifacii III.* Pontif. R. annuit & Romanam sedem caput omnium Ecclesiarum constituit, unde à B. Luthero vocatur **der Käyſermörder und Bäbſtmacher.** *Caganus*, Avarum Rex, Longobardiam invadit & forum Julium arcta obsidione premit, eo viso *Romilda*, Gisulphi Conjux, nefandis cæcata amoribus, Urbem hosti

hosti prodit, matrimonium ejus pacta, at Caganus, perosus Romildæ libidinem, proditricem palo transfixam interemit. Filiæ verò Matris dissimiles, pullorum carnes mammis substratas calore corporis putrefecerunt eoque fœtore milites, conservata pudicitia, abegerunt. Phocæ dictum: *Fortunam citius reperias, quàm retineas.*

16. *Heraclius* An. C. 610. egregius Bellator. Inita pace cum Cagano, Avarum Rege, Cosroën, Persarum Regem, Christianis infensissimum, quorum multa millia, Jerosolyma expugnata, occiderat, vicit illatasque imperio injurias egregiè vindicavit. Hunc Cosroën filius *Syroes*, Rex lectus, subitò oppressit, catenas injecit & auri & gemmarum acervis congestis, *ob hæc*, inquit, *Romanos in Persas concitasti tantumque fudisti sanguinis, fruere ergo deliciis*, sic fame maceratum, 610

aliisque filiis in conspectu ejus jugulatis, sagittis configi jussit gravem bonis omnibus Tyrannum, cum Heraclio pacem fecit, captivis & ademptis locis restitutis. *Mahometh* (Arabes scribunt Muhamed i. celebris, laudabilis) Saracenus Pseudo propheta, Heraclio Imperatore, prodit, uxorem is *Chadigam* duxit, cognatam prædivitem cumque morbo vexaretur epileptico, finxit Gabrielem sibi apparere, cujus aspectu consternatus concideret, hic, opera usus *Sergii* Monachi Nestoriani & Judæi cujusdam, inusitatum Religionis Chaos è Christianismo, Judaismo, Ethnicismo construit idque *Mecha*, ubi natus est hic planus, Patre *Abdallah*, divulgans sub Alcorani titulo à popularibus suis pellitur & Medinam se recipit, Arabum Princeps factus Ann.
622 C. 622. unde nata Epocha Turcarum, quam *Hegirum* i. fugam dicunt. In *Alcorano* suo impostor Chri-

Christum Deum esse Deique filium negat, qui crucifixum colunt & SS. Trinitatem, infideles appellat, circumcisionem approbat, Polygamiam suis concedit & legis suæ observatoribus, quos *Musulmannos* i. servatos à periculo dixit, in hac vita successus perpetuos, in altera carnales pollicetur voluptates. Idem nono Principatus sui anno dolo uxorum periit Anno C. 632. Medinæ sepultus. Ei successit *Abubecher* Socer, quo tempore Saraceni, Heraclio militantes, ob stipendia non persoluta & ignominiam, qua homines feros verèque barbaros spado quidam Romanus, canes ipsos appellando, irritaverat, deficiunt, & ducem hunc Abubecher secuti, indies arma victricia fatius circumferunt. Abubecher excepit *Homar*, & hunc à Persa quodam occisum *Muhavius*, qui sub Constante Imp. gravissimè imperium afflixit. Ei se opposuit *Haly*, gener

ner Mahumedis, qui Angelum ad se missum per errorem Mahumedem adiisse mentiebatur; Hunc Persæ hodie sequuntur, Turcis ea propter invisi & infensi. Heraclius in Monothelctarum hæresin prolapsus, eum & incestis sibi nuptiis junxisset *Martinam*, Fratris filiam, aqua intercute decessit. Hæc Martina privigno suo *Constantino* III. post quatuor Mensium potestatem venenum propinavit, at eadem exsectâ, judicio Senatus, linguâ, & filius ejus *Heracleonas*, abscisso naso, post semestre Imperium in exilium pulsi sunt. Heraclii Symbolum: *A Deo victoria.* Constantini III. *Hilaris insania voluptas.* Heracleonæ; *Mali principii, malus exitus.*

20. *Constans* II. Anno Christi 641. Monotheleta, ideoque orthodoxis gravis, quorum non paucos exilio, imò & morte, mulctavit; *Theodosium* fratrem interemit, hinc parricidii

cidii agitatus furiis, quod ei Frater in somnis calicem subinde cruore plenum exhiberet, Italiam petiit cumque Longobardis varia fortuna depugnans, Romam ornamentis omnibus spoliavit; repetens inde Siciliam, quam insolitis exhausit tributis, sævitiam ejus omnibus execrantibus, ab Andrea Troilo situla capiti impacta, in balneo necatus est. Eo imperante, cinis de cœlo decidisse dicitur, ortaque dira pestilentia, visum est spectrum circuire & venabulo pulsare domos, quotque vicibus pulsatum ostium, totidem ex ea domo elati mortui. *Vitalianus* Papa his temporibus primus ad concentus sacros Musica adhibuit organa. Constantis Symbolum: *Parendum necessitati.*

21. *Constantinus IV. Pogonatus* Anno Christi 668. cum Patris ulturus cædem domo profectus imberbis, barbatus rediisset, pogonatus dictus 668

ctus est, ὁ πώγων, græcè barba est, *Saraceni* Africam invadunt, populantur, Byzantinos etiam vexant, at præda onusti, orta tempestate, merguntur fluctibus, qua jactura aliisque cladibus edocti Imperium Christianorum divina virtute muniti, pacem cum Imperatore tributariam ineunt, ut *Bulgari*, gens Scythyca, provincias circa Danubium occupant vastantque, latè victores, quibus & ipse Imperator tributum pendere coactus est. Hoc Imperatore habita est *Synodus Oecumenica VI.* Constantinopoli contra Monotheletas. Symbolum: *Quod citò fit, citò perit.*

22. *Justinianus II. Rhinotmetus*

685 Anno Christi 685. trucis animi Imperator eaque propter invisus populo, Saracenicam pacem rumpit ingenti suo & Imperii malo; hinc à Leontio Duce, præciso naso, relegatur Anno C. 695. idem *Leontius* cum tribus annis varia fortuna imperas-

peraſſet, truncatis itidem à *Tib. Abſimaro* naribus, relegatus eſt Anno C. 698. Juſtinianus autem elapſus cuſtodia, imperium recuperavit anno C. 705. Leontium & Abſimarum vinctos pedibus calcavit, acclamante populo: *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, & occidit, imò, quoties truncas emunxit nares, unum aliquem, qui à partibus ſtetiſſet Leontii, ad ſupplicium rapi juſſit. Inteſtinis his diſſidiis in Imperio vigentibus, *Saraceni* augendis rebus non defuêre & Mahumetiſmus latiſſimè propagatus eſt. Imperator intolerandæ pœnam crudelitatis pependit cum filio jugulatus. Ejus Symbolum: *Multi nimium, nemo ſatis.* Leontini: *Pulchra eſt concordia cordis & oris.* Abſimari: *Nimium boni, nihil mali.*

23. *Philippicus Bardanes* Anno C. 711. Monotheleta, ſub quo & *Synodus* habita *Conſtantinopoli* pro Mono-

Monotheletis. Hic congestos à Decessoribus thesauros stultè prodegit, Bulgaris interim & Saracenis imperium vastantibus, hinc privatur luminibus. Symbolum: *Fortuna citò reposcit, quæ dedit.*

713 24. *Artemius*, qui & *Anastasius II.* dictus est Ann. C. 713. Hic, ut Philippicum Imperio malè parto gestoque malè exuit, ita & ipse post biennium à Theodosio III. sceptris exutus &, ejurato Imperio, exilii damnatus est. *Theodosius* verò imparem se huic oneri ferendo ratus, ultrò deposuit, & reliquam vitam Ephesi pro Clerico exegit, & moriens sepulchro suo inscribi jussit: ὑγίεια *i. sanitas.* Filius eandem amplexus sortem, sibi, quam aliis, imperare maluit. Symbolum Artemii: *Si non das, accipit ultro.* Theodosii: *Patientia remedium malorum.*

717 25. *Leo Isaurus* Anno C. 717. *Iconoma-*

nomachus dictus, cum de tollendis & demoliendis imaginibus edictum promulgâsset, qua re graviſſimè offendit Pontifices Rom. *Gregorium* II. & III. qui Imperatorem & omnes imaginum oppugnatores anathemate percuſſos, communione ſacra excluſerunt. Urbis & Italiæ tributa detinuere, initoque cum Francis, tum temporis validiſſimis, fœdere, Italiam à Græco imperio abſcindere conati ſunt. *Radbodus*, Friſonum Rex ethnicus, perſuaſus, ut fidem Chriſtianam amplecteretur, cum alterum pedem in Fonte Sacro haberet, jamjam baptizandus, ex Epiſcopo quæſivit, *ubi Majorum ſuorum partem majorem degere putaret*, dato reſponſo, *in inferno*, pedem retraxit, inquiens: *ſatius eſt plures, quam pauciores ſequi*: & ſecutus eſt: tertio enim die ſubita morte oppreſſus, numerum auxit damnatorum: Symbolum Leonis: *Occulti inimici peſſimi.*

Con-

741 26 Constantinus V. A. C. 741. Copronymus dictus, eo, quod baptizandus infantulus fontem sacrum onere ventris fœdasset. Hic itidem ob imaginum detestationem gravissima incurrit odia, Iconolatras acerrimè persecutus, coacta etiam *Synodo* Constantinopoli, quam *Oecumenicam VII.* appellari voluit Imperator, iconolatriam omnem damnavit, Rom. Papa eandem pertinaciter defendente; hinc &, Constantino Saracenico bello occupato, *Artavasdus*, ope Anastasii Patriarchæ imperium invasit, unde bellum ortum intestinum, in quo victor Constantinus, Artavasdum excœcatum cum duobus filiis publicè ludibrio exposuit, & Anastasium, verso ad caudam asini capite, ignominiosè per urbem circumduci jussit, facti tamen pœnitentem dignitati restituit. Atrocissima pestilentia Constantinopolim aliasque imperii provincias afflixit, quam præcessere insolentes tene-

tenebræ, Deo sic vindicante mentium caliginem, qua stupidus orbis, Deo vivo relicto, ligna & lapides venerabatur. In *Gallia*, Francorum Regibus in luxum & inertiam solutis, regia munia administrabant Præfecti Prætorio, *Majores domus* appellati, (quales hodie dicuntur primi Ministri aut *Ministrissimi*, ut superioribus temporibus in Gallia fuerunt *Richelius & Mazarinus*) è quibus fuit *Carolus Martellus*, victoriis illustris, cujus Filii fuêre *Carolomannus*, qui Monasticam vitam amplexus est, & *Pipinus*, qui ope Pontificis, *Childerico* Rege submoto, Galliæ Regnum obtinuit & primus Parisiis Senatum, quem *Parlamentum* vocant, instituit. Idem gratiæ referendæ non immemor, Pontifici Rom. opem tulit adversus Longobardos, eundemque his oppressis, donavit Exarchatu Ravennensi aliisque provinciis, quæ donatio, manifesto *errore* Constantino M. tributa, Impe-

perio Rom. damnosissima fuit. Pipini hujus filius fuit *Carolus M.* qui capto *Desiderio*, ultimo Longobardorum Rege, Rex Italiæ declaratus est A. C.
774 774. *Constantinus*, ardenti febre correptus, fato suo fungitur, qui Princeps multò fuisset felicior, nisi in infelicem illam de cultu imaginum disceptationem incidisset. Symbolum ejus; *Quid sine pectore corpus?*

27. *Leo IV. Porphyrogennetus* dictus, eo quod purpuram puerulus
775 induisset. Ann. C. 775. imaginum is cultum, cui *Irene* Conjux addictissima erat, damnat ejusque propugnatores superstitionis gravibus afficit pœnis; at cum è Templo Sophiæ coronam, gemmis insignem capiti applicuit, enatis, ut perhibent, in capite carbunculis, accedente febri, decessit sexto imperii anno, relicto Filio impubere. *Carolus* à rebus gestis *Magnus* dictus, idolis passim destructis & in his Crodone, quem Hardesburgi coluêre *Saxones*, dis-

tur-

turnis hos bellis fatigatos, tandem ad fidem Christianam adduxit, cum Rege suo *Witekindo* A. C. 780. *Rolandus*, Caroli M. ex Bertha sorore nepos, stupendi Heros roboris, cum multa edidisset eximiæ fortitudinis specimina, in bello periit Saracenico & quidem non manu hostili, sed latronum insidiis, in quos Pyrenæum saltum transiens incidit. sub cjus nomine passim in Liberis Civitatibus erectæ statuæ, ipse Carolus hoc ipsi epitaphium scripsisse fertur. 780.

Tu Rolande, jaces, tristi nos orbe relinquis,
Tə tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.

Symbolum Leonis: *Quò fortuna si non uteris.*

28. *Constantinus VI. cum Irene* Matre An. C. 780. Caroli M. filiam *Rhotildam* ille duxit uxorem, quam tamen impulsu matris non multò pòst abdicavit, ducta Maria quadam Ar- 780.

H menia.

menia. Hæc Irene *concilium* haberi jussit *Nicæa*, quo imaginum veneratio, tot Synodis damnata, postliminio in Ecclesiam reducta est. Post hæc, exclusa Matre, imaginum Patrona, Constantinus solus regnat, qui cum Patruis oculos eruisset, Mariam conjugem itidem abdicasset, crudelitatis & insolentiæ pertæsum populum militemque graviter offendit; hinc Irene, Regno recuperato, erutis eundem oculis imperio dejecit. At *Nicephorus* à militibus Imperator salutatus, Irenen in palatio obsessam & absconditos indicare thesauros coactam, in Lesbon insulam relegavit, in qua mœrore contabuit, nec tamen Nicephorus melius rem gessit publicam, omnium receptaculum vitiorum. At *Carolus M.* boni Principis officio egregiè functus, *Synodum Francofurtum* convocavit, qua imaginum veneratio damnata & Synodus illa Nicæna, qua de paulò ante dictum rejecta est; hinc Romæ à *Leone*

Pon

Pontifice, quem urbe ac sede pulsum ipse restituerat, Feriis Natalitiis coronatur, populo acclamante: *Carolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Symbolum Constantini: *Mulieri imperare res desperata.* Irenes: *Vive, ut vivas.*

Periodus VIII.

A Carolo M. usque ad Rudolphum I. ab A. C. 800. ad A. C. 1273.

I.

Carolus M. Heroicæ Princeps virtutis, vel eo nomine magnopere laudandus est, quod Christianæ propagandæ Religioni unicè intentus, majores nostros, idolomaniæ pertinacissimè adhærentes, ad salutarem fidem adduxit, idem literatum studiis summè addictus, *Academiam Parisiensem* excitavit, omniumque Magistros Artium singulari favore comple-

xus, maximo sumtu aluit. Saxones, Slavos, Hunnos, Vandalos, domitos bello, sibi subjecit, cum Irene, Imperatrice Byzantina, pacem coluit. Tandem senio gravis ætatis anno LXXII. decessit, bona bonorum parte testamento legata pauperibus. De ejus anima fabula circumlata est, eam Dæmonibns tradi debuisse, at in statera templorum & Cœnobiorum ædificationes pravis facinoribus præponderâsse. Symbolum Caroli M. *Christus regnat, vincit, triumphat.* In oriente Nicephoro, homine sceleratissimo, à Bulgaris cæso, successit *Michaël* Iconolatriæ, quæ turbarum & plurimorum malorum causa extitit, acerrimus defensor, hic impar hostibus, Imperium cum Monastico habitu commutavit, idque reliquit *Leoni Armenio*: quem Iconolatriæ hostem, in ipso Templo à suis interfectum, excipit *Michaël Balbus*, sentina vitiorum. Ita intestinis dissidiis & bellis simul externis Imperium

rium orientale concussum fractumque ornamenta sua suasque vires paulatim, perdidit, Deo Iconolatrian aliaque nefanda scelera sic vindicante.

2. Carolo M. successit ex *Hildegarde* Svevo Filius, *Ludovicus*, cui liberalitas in sacrum ordinem cognomen *Pii* dedit A. C. 814. Cingula auro gemmisque radiantia Clericis ademit, & in *Synodo Parisiensi* decrevit *imagines ad memoriam habendas, non adorandas esse.* Post *Irmengardin*, ex qua ipsi fuére tres Filii: Pipinus, Lotharius, Ludovicus, uxorem duxit *Juditham*, consangvineam, adulterii suspectam, ex qua suscepit Filium *Carolum Calvum*, hinc graves natæ turbæ: *Pipinus* enim Patrem comprehendit & Juditham cœnobio incluſit, altero verò anno Patrem restitutum denuò Filii coëgere Imperio se abdicare, at, recuperata dignitate, *Lothario* supplici ignovit infelix Pater, pius Imperator. Sym- 814

bolum ejus: *omnium rerum vicissitudo.*

3. Lothartus 1. Ludovici F. An. C. 840. gravis Fratribus, Carolo & Ludovico, quibus cum bellum gessit, utrique parti damnosissimum. Papatum capessit, *Sergius 2.* antea *os porci* dictus, qui nominis aversatus fœditatem, Sergii nomen assumsit; unde hodieque mos Papis est immutandi nomina. Non multò post sedem Romanam occupasse dicitur *Johannes VIII.* specie Papa, re fœmina, ea partum publicè enixa, partus doloribus extincta esse dicitur. Noti sunt, qui vulgò circumferuntur, versus:

Papa Pater Patriæ, Papissæ pandite partum,
Pro Petri porta peperit Papissa Papellum.

Gravissimi Scriptores rem ita narrant, Romanæ sedis amici id negant, qua fronte, quo fundamento, alius est loci dispicere. Lotharius paulò ante vitæ finem, habitu sumto monasti-

nastico, morbo decessit. Symbolum: *Ubi mel, ibi fel.*

4. Ludovicus 2. Lotharii F. Anno C. 855. Spiritus malignus, hoc tempore mirè turbavit *Moguntiam* eique vicina loca, lapides ejecit, parietes domorum pulsavit, tandem omnium animos in certum hominem exacerbavit: in quamcunque enim domum ille se recepit, ea deflagravit, ideoque cum vicini in eum, ut auctorem incendii, irruerent, ille, candens gestando ferrum, innocentiam suam probavit; missi Presbyteri cum reliquiis, crucibus, aqua lustrali, qui malignum spiritum depellarent, at hos lapidibus petitos abegit Spiritus. Superstitio sic castigata est. *Brunsvigæ* origo in hæc incidit tempora, dum Rudolphi Saxonis Filius, natu maximus, *Bruno*, ad Ocram fl. eo loco, quo Chauci quendam vicum, à Carolo M. exustum, habitaverant, habitandam sibi sedem delegit Anno C. 861, eamque 855.

de

de suo nomine dixit Brunschwyck quasi *Brunonis vicum*. Romæ per annos 150. apostaticos, non Apostolicos fuisse Pontifices, ipse testatur Genebrardus. Baronius eosdem appellat *monstrosos & fœdissimos*. Ludovicus decessit ἄτεκνος. In oriente regnavit *Basilius*, ex equisone Imperator. Ludovici Symbolum: *Par sit fortuna labori*.

5. *Carolus II. Calvus, nepos Caroli*
875. M. A. C. 875, lepore timidior, hostes fugere, quàm fugare paratior, bellum tamen intulit fratri Ludovico, Germaniæ Regi, qui Galliam occupârat, cujus morte cognita, mirificè lætatus, ingentis Dux exercitus, bellum fecit liberis; at hi, exiguis licet copiis instructi, jejunio precibusque obtinuerunt victoriam. Non multò pòst in febrim prolapsus, à Sedechia, Judæo Medicastro, pulvere venenato interimitur, exemplum daturus posteris, quàm imprudenter Christiani Christi hostibus valetudinem committant curan-

curandam. Calvi Symbolum: *Justitiam injustitia parit.* Item: *Quod pastori, hoc ovibus*, nempe si bene sit Regi, & gregi bene est.

6. *Ludovicus III.* Balbi fil. An. C. 879. hic nulla memorabili regesta, altero Imperii anno decessit, non sine veneni suspicione. 879.

7. *Carolus III. Crassus* Ludovici, Germaniæ Regis, Fil. An. C. C. 880 Cum Nordmannis in Saxonia per Duces pugnavit infeliciter, in qua pugna & Bruno cecidit, Brunsvigiæ conditor. Iisdem Galliam infestantibus eam Galliæ partem habitandam concessit Imperator, quam hodie vocant Nordmanniam Ab hoc Crasso, corpore & animo langvente, Germani deficiunt, & *Arnulphum*, ejus patruum, Regem eligunt, cui supplex ille factus, pauca sibi Alemaniæ loca ad necessarios vitæ usus dari petiit & impetravit. In Oriente dominatus est *Basilius* Macedo, à quo in Russiam missus Epi- 880.

scopus, Evangeliorum librum in ardentes flammas conjecit & illæsum recepit, quo miraculo Russorum pars maxima ad fidem christianam est adducta. *Basilius* Imperator, ingentem cervum percussurus, mirabili casu cornuum ramis zona implicatus, miserè raptatus periisset, nisi comitum aliquis, ense dissecta zona, periculo eum exemisset, at idem, quod gladium in Imperatorem strinxisset, truncatus capite, perniciem pro præmio tulit. Crassi Symbolum: *Os garrulum intricat omnia.*

888. 8. *Arnulphus* An. C. 888. Ab hoc Nordmanni & Hungari Galliam, Germaniam, Italiam infestantes, repelluntur: Romam idem obsidet eamque hac occasione capit, dum scil. lepusculum, Urbem versus fugientem, exercitus cum clamore sequitur, excubantes in Maris Romani se peti opinantes, fuga dilabantur, & liberum hosti aditum præbent;

bent; ita Urbs, orbis olim domina, à lepore quasi capta est. Urbis potitus *Arnulphus* Pontificem facit *Formosum*, de cujus manu accepta corona, adversarios ejus capite plectit, ar Formosum hunc vita functum successor *Stephanus*, velut vivum, in judicium rapit corpus è sepulchro productum papalibus spoliat ornamentis, abscissisque tribus dextræ digitis, in Tiberim præcipitari jubet. *En specimen papalis clementiæ!* Hujus Stephani acta Successores, *Romanus* 1. *Theodorus* 2. *Johannes X.* improbarunt, rescinderunt. Ita Pontificem erroribus esse obnoxium, ipsi Pontifices, Pontificum decreta faciendo irrita, planum fecerunt. Orienti præfuit *Leo Philosophus*, à studiis sic dictus. Arnulphus Imper. Phthiriasi periisse dicitur. Ejus dictum: *Facilis descensus averni.*

9. *Ludovicus IV.* aliis III. Arnulphi F. ætatis anno duodecimo Im-

899. perator designatus est Anno C. 899. *Hunni* vel Hungari Germaniam juxta atque Italiam miserrimè afflixêre, quibus & Imperator, ingenti prælio victus, tributum pendere coactus est. In Italia oppresso Rudovico, Bosonis Filio, & regno oculisque privato, *Berengarius* dominatus est & Imperator salutatus Italicus. Romani Pontifices tanto Dignitatis apice, ipso Platina teste, indigni, turbis & seditionibus miscuere omnia. Romæ dominante *Theodora* quadam, Romana nobili fœmina, quæ *Marozia* filia Sergio Pontificii in concubinam tradita, aliasque filias aliis prostituens, eam sibi potentiam acquisivit, ut pro arbitrio suo Pontifices crearet, dimoveret. Ludovicus Imp. tantâ ingruentium malorum mole impeditus, Italiam ad componendos hos motus non adiit, sed morbo decessit, juvenis 24. annorum; inque eo Caroli M. mascula stirps defecit. Symbolum ejus: *Multorum manibus*, pan-

paucorum consiliis, nempe multorum manibus pugnandum est, ac pauci cosulendi.

10. *Conradus* I. Dux Francorum, Ottone Brunsvicensi Imperium ob senectutem abnuente An. C. 912 gravis huic fuit *Henrici*, Saxonum Ducis, potentia, qui & *Hattonis*, Episcopi Moguntini petitus insidiis, missas adversus se copias Conradi magna cecidit strage, *Hatto* verò, vario infamis scelere, vel ictu fulminis, vel murium infestatione, ut alii volunt, periit, Ottone, I. Imperante. 912.

Conradus, septennio in Imperio expleto, ad æmulum Henricum, magnæ Virtutis Principem, Ottonis Filium, Imperatoria misit insignia, majorem Reip. quàm necessitudinum suarum curam rationemq; habendam esse ratus. Ejus Symbolum: *Fallit, cum blanditur, fortuna.*

11. *Henricus*. de Saxonum gente *primus*, imperio præfuit, *Anceps* di-

ctus, eo quod aviculas captanti imperatoria oblata sunt insignia, An. C.
919. 919. Oblatam ille à Pontifice consecrationis & unctionis ceremoniam respuit. *Arnoldum* Bavarum, æmulum, instructas inter acies prudenti oratione placavit. *Hungaros* ob negatum tributum Saxoniam latè vastantes prope Martisburgum victos fugatosque ad internecionem cecidit, tanta hæc *strages* fuit, ut *vix septem* supererent cladis nuntii, quos Imperator manibus, naribus, auribus amputatis in Hungariam remisit, documento, ne ulterius à Germanis tributum expeterent, verba sunt Cl. Hornii Orbis Imper. p. m. 143. *Vandalos* etiam, graves imperio hostes, acri prælio profligavit domuitque quorum pars maxima Christianismum est amplexa, Germaniam in pagos antehac divisam, in Marchias descripsit. (*Marchia* dicta videtur à Marck / quæ vox in vernacula nostra fines significat) Quedlinbur-

gi

gi, annis in imperio 18. exactis, sepultus est. Symbolum ejus: *Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.*

12. *Otto Magnus*, Henrici Aucupis fil. Ann. C. 936. Rebelles æmulosque Principes, armis, victricibus fatigatos, subegit, Henrico Fratri, qui atratus occurrebat Imperatori genibusque minor veniam petebat, ignovit: *Bohemis* etiam domitis, Italiam ingenti cum exercitu ingressus est & Tyrannos in fugam vertit. *Berengarium* ad perpetuos carceres damnavit, *Johannem XIII.* infamem flagitiis Pontificem, non sine gravi vitæ periculo, submovit, substituto *Leone IIX.* Idem Johannes, totius Synodi damnatus suffragiis, in ipso adulterio percussus à Satana, octavo die interiit, & Romani Imperatori sacramentum dixêre, nunquam se, ipso inscio, & invito, Papam electuros; at datæ fidei immemores, *Benedictum* Papam constituerunt, quo dejecto Leo- 936.

nem

nem Imperator restituit. Hic temporibus *Dani* fidem Christianam amplexi, idola sua demoliti sunt; conversi esse dicuntur quodam miraculo, dum *Poppo*, Vir sanctus, candentem ferri laminam, ceu chirotheeam, brachio induit illæso. Cum etiam *Poloniæ* Princeps *Micislaus*, Bohemorum Principis Boleslai filiam christianam, uxorem duxisset, hac occasione Poloniæ Christus cœpit innotescere. Hic Otto I. Gosloriam extruxit, inventis ibi auri argentique venis. *Magdeburgi* Metropolitanam condidit Ecclesiam, Romanis Episcopum dedit *Johannem XIV.* qui campanam de suo nomine appellavit, unde mos inolevit tintinnabula aquis consecrare iisque humana imponere nomina. Ottonis Symbolum: *Aut mors, aut vita decora.*

972. 33. *Otto II.* An. C. 972. Magni filius. In Calabria, quum unà cum Apulia dotalitiam acceperat, *Theophania*

phania sibi matrimonio juncta privigna Nicephori, Imp. Constantinopolitani, cum *Græcis & Saracenis* belligeravit, ingentique hotum multitudine cæsa, *pallida mors Saracenorum* dictus est; desertus autem à suis proditusque, à Græcis victus captusque est, periculum verò natando evasit; hinc Romanos quosdam Nobiles, fugæ auctores, ad convivium invitatos trucidavit, unde cognomen *Sanguinarii* ei inditum est. Symbolum ejus: *Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum.*

14. Otto Tertius, Secundi filius, Henrico Bojoariæ Duce, frustra renitente, imperium obtinet, fide & virtute Saxonum A. C. 983. puer 10. annorum imperator factus, vulgò dictus est *Infans*, & paulò post, ob singularem virtutem & res præclarè gestas *Mirabilia mundi*. Hic Otto Quedlinburgi egit Cæsarem & imperii Septemviros seu Electores VII. instituit, ut nonnulli volunt. Romæ miras turbas dede-

re

re Pontifices, omnium mancipia scelerum, & *Crescentius* Consul. Urbis sibi vendicans imperium; has turbas Imperator composuit, dum Crescentio oppresso, *Gregorium V.* Papam creavit, & *Johannem* Antipapam, ocalis erutis, Pontificatu exuit, hinc à *Boleslao*, Poloniæ Duce, magnificè exceptus, Regem eundem appellavit. Idem *Stephanus*, Ducem Hungarorum, (*Hungari* dicti videntur, quasi *Hunnivari*, cum *Avaribus* sese junxissent) qui fidem christianam recepit, eare cognomen *Sancti* meritus Regem creavit Anno 997. Romanæ sedi post Gregorium præfuit *Sylvester* 2. Magicis addictus artibus, quibus & summæ apicem Dignitatis consecutus est: propinquus ille morti, professus peccatum suum, & salutis æternæ dubius, è vita migravit. Imperatorem, quem uxor Crescentii in amorem sui pellexerat, eadem, chirothecis veneno infectis dono missis, interfecit, annum agentem tri-

trigesimum; Symbolum: *Virtus unita valet.*

15. *Henricus* 2. *Sanctus* à vitæ integritate, *Claudus* à pedum vitio dictus Ann. C. 1002. A Moguntinorum Præsule *Willegiso* coronatus est. Hic *Willegisus*, Fabro ortus, rota pro insigni usus est, & majusculi literis in conclavi suo scribi jussit: *Willegis, Willegis, recole, unde veneris.* Eo tempore pestilentia cum fame adeò orbem afflixit, ut pecudes sine cura hominum per arva oberrarent palabundæ. Insigni aliàs pietatis & munificentiæ laude floruit hic Imperator, Ecclesiasticis addictissimus eaque propter *Pater Monachorum* dictus; cum Uxore sua *Künigunda* castissimè vixit, Gislam sororem *Stephano Hungarorum* Regi (primum hunc Regem nuncupavit Otto 3. Imp. nam ante hunc Hungaris præfuêre Duces) uxorem dedit, qua occasione Rex & populus ad Christianam fidem conversi sunt. Idem, tri- 1002

bus

bus vicibus exercuit in Italiam ducto motibusque compositis, *Bambergensem* fundavit Ecclesiam, utque sine liberis decessit, Bambergæ sepultus est. Ejus Symbolum: *Ne quid nimis.*

1024 16. *Conradus II. Saliquus* A. C. 1024. magnæ Princeps virtutis & strenuus violatorum pacis vindex Profectus in Italiam, rebelles ad officium redire coëgit, eoque bello militem, cui pes supra talum fuerat abscissus, plenis argento ocreis remuneratus est. *Burgundiæ* regnum in provinciæ formam redegit. *Polonos & Hungaros* debellavit. Ejus ætate undecim annorum puer Pontifex Rom. factus est dictusq; *Benedictus IX.* & *Guido Aretinus* Monachus cantandi illam rationem per syllabas, *ut, re, mi, fa, sol, la* invenit horum, ut volunt, versum occasione:

UT queant laxis REsonare fibris
MIra Sanctorum FAmuli tuorum,

SOL-

SOLve pollutos LAbii reatu,
Sancte Johannes.

Conradi Symbolum: *Omnium morem tuos imprimis, observato.*

17. *Henricus III.* cognomine *Niger*, Ann. C. 1039. Varia ille fortuna 1039
in Hungaria & Bohemia bella gessit, tandem victor. Pontificum Rom. factiones turbasque armata manu composuit & Romanos denuò jurare coegit se sine imperatoris suffragio neminem Papam facturos, imperatoriæ autoritatis assertor & Pontificiæ ambitionis Vindex pœne ultimus. *Berengarius* Presbyter in Italia Transsubstantiationis dogma rectè impugnans, in alium errorem incidit, in mystica Christi cœna negans præsentiam corpori & sanguinis Dominici, quem errorem aliquot Synodus damnatum abjurare coactus est. In Oriente *Turcarum* invasuit potentia, dum imperantium ordo litibus & libidinibus operatus,

ratus, tutelam imperii custodiamque neglexit. *Ita imperium miseris modis labefactatum est, Occidentis à Pontificibus, Orientis à Turcis.* Henrici Imp. Symbolum: *Qui litem affert, execrationem in benedictionem mutat.*

18. *Henricus IV.* septimum agens
1056 annum Patri succedit Anno C. 1056. Decimo ætatis anno à Matre abstractus Coloniam abducitur, decimo quarto tutelâ exit & gladio accingitur. Episcopus Hildesiensis & Abbas Fuldensis de Præcedentia, ut loquuntur, sive de sessione dum dimicant, Goslariæ in Templo, feriis Pentecostalibus, honorem cædibus tuentur, exclamante Satana: *Hæc est dies, quam ego feci bellicosam.* Henricus Goslariæ diu commoratus Saxones habet infensissimos, etiam Hartiburgo in castro obsessus, venatoris cujusdam ductu hostium manus ægre evadit. Pontifex *Hildebrandus*, mutato nomine dictus *Gregorius VII.* Cleru

interdicit conjugio & potestatem sibi arrogat Imperatores constituendi, abrogandi; hinc Imperatorem anathemate ferit eumque cogit rigidissima hyeme Italiam repetere culpamque deprecari, cum Papa in Arce *Canusina* apud *Mathildem*, Lotharingiæ Ducis viduam, commoraretur; quarto demum die nudis pedibus, scopas in manibus gerens, admittitur & durissimis conditionibus absolvitur. At non multò post idem Gregorius Henrico Subditos obedire prohibet, & coronam mittit *Rudolpho Sveve* cum hac epigraphe:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Henricus verò Papalem Gregorio honorem abrogat, *Rudolphus* Anti-Cæsar ad Elistrum fl. in prælio oc- 1086
cumbit & dextra vel abscissa, vel graviter saucia, qua obsequium Cæsari juraverat, perjurii sui vindictam pœnamque agnoscit. Ejus *sepulchrum*

apud

apud nos Martisburgi visitur in Templo cathedrali, ubi & manus torrefacta asservatur. Æneæ laminæ, quâ sepulchrum intectum, hæc leguntur insculpta:

Rex hoc RUDOLPHUS patriæ pro lege peremptus
Plorandus merito; conditur in tumulo,
Qua vicere sui, jacet hic sacra victima belli,
Mors sibi vita fuit, Ecclesia cecidit.
Rex illi similis, si regnet tempore pacis,
Consilio, gladio non fuit, à Carolo.

Henricus, æmulo imperii submoto, denuò in Italiam proficiscitur, Romam occupat, *Clementem III.* Papam constituit, cumque Gregorius frustra subornâsset sicarium, qui Cæsari in Templo oraturo saxum desuper immitteret, fuga sibi consulit & Ex papa Salerni in Hispania obit. Imperator Con-

Conradum filium in Italia relinquit, qui, Patre invito, pro Rege se gerit, eaque propter exhæredatus à patre, subita morte perit, & pater Henricum, natu minorem filium, successorem designat, qui Pontificis *Paschalis* impulsu Moguntiæ patrem insignibus imperatoriis vi spoliat & resignare sibi potestatem cogit. Ita Leodii exul & privatus decedit Henricus, Imperator fortissimus, quippe qui sexagies amplius cum hostibus ferocissimis dimicaverat, &, jussu Pontificis, è sepulchro ejectus, totum quinquennum jacet inhumatus. In hæc tempora incidit nobilis illa Expeditio Christianorum in *Palæstinam*. Hierosolyma post varios casus, clades, victorias capitur A. C. 1099 qui primus in muros Urbis expugnatæ insilierat, *Godefridus*, Dux Lotharingiæ, Rex in Palæstina designatur. *Bruno* Coloniensis *Carthusianum* condit Ordinem. Henrici Symbolum: *Multi multa sciunt, se autem nemo.*

1106. 19. *Henricus V.* Anno C. 1106. Pontificem armata manu coëgit Jure in Episcopos cedere, ille verò ea decreta, Henrico in Germaniam reverso, rescidit, ipso Imperatore excommunicato, qui cum infeliciter cum Saxonum Duce *Lothario* pugnâsset, in postulata Pontificum tandem consensit iisque jura, quæ in Episcopos habebat Imperator, tradidit, non sine magna imperatoriæ Majestatis diminutione & papalis auctoritatis incremento: hinc *Theodorus* Abbas exclamâsse fertur: *Romæ regnat Simon Magus loco Simonis Petri & Simonia loco Evangelii.* Recuperuta hac via Pontificis gratia, Trajecti Imperator sine prole obiit & Spiræ sepultus est, cui & Majoribus Poëtæ cujusdam ruditas tale conscripsit Epitaphium:

Filius hic, Pater hic, Avus hic, Proavus jacet isthic.

Floruit hoc tempore *Norbertus*, Ordinis *Præmonstratensis* Fundator, cujus cineres hoc seculo Magdebur-

go

go Pragam translati sunt; & *Bernhardus* Monachus, Doctor mellifluus, qui multorum Ordinum Fundator & Cistertiensium Regulæ habetur illustrator. Henrici V. Symbolum: *Mortem optare malum, timere pejus.*

20 *Lotharius 2. Saxo*, Ann. C. 1125. Æmulus ejus *Conradus* Svevus Mediolani Regem se gessit, at Lothario, Principe bellicoso adventante, majorem vim metuens, cum eodem rediit in gratiam, primam inter Principes sedem honoris ergò retinens. Hic Imperator bis Italiam ingressus, *Innocentium* 2. Papam tuetur adversus *Anacletum*, ab eodem tamen potèstatem dandi Sacerdotia, Henrico V. ereptam, frustra repetit. *Rogerium* Siciliæ Regem latè dominantem, Italia pulsum, in Siciliam redire cogit. His temporibus *Gratianus* Canones Ecclesiasticos & decreta Pontificum collegit; de jure etiam civili præclarè meritus est *Wernerus*, homo germa-

nus, ab aliis dictus *Irnerius*; obiisse etiam dicitur *Johannes de temporibus*, quem sub Carolo M. stipenda fecisse & 360. annos vixisse perhibent. *Lotharius*, ex Italia in patriam rediens, obiit in itinere & sepultus est in Monasterio Ducatus Brunsvicensis, cui inde nomen est Königs-Lutter. Ejus Symbolum: *Audi alteram partem.*

1138. 21. *Conradus 3. Svevus* An. C. 1138. Æmulus huic fuit *Henricus Superbus*, Gener Lotharii, Dux Saxoniæ, ea propter ab Imperatore proscriptus eique bona pars ditionum suarum ademta est. *Guelpho*, Superbi Frater, Winsbergæ in ducatu Wirtenbergensi obsidetur à Conrado, hinc cum, obsessis ad ultimam desperationem redactis, imbelli turbæ potestas fieret abeundi & efferendi, quæ humeris efferri possent, Uxores singulæ maritos suos susceperê, præeunte *Juditha* (Ivo ab aliis vocatur) Principis conjuge, quo tam insolenti spectaculo Impe-

rato-

ratoris ira in misericordiam versa est. Historiam hanc eleganti carmine descripsit Henricus Meibomius p. & Historicus celeberrimus. Hostes Cæsaris eo tempore *Guelphi* à Duce suo, Cæsariani *Gibellini* dicti sunt à Weiblinga, natali ejus solo. *Guelphi* dicebantur, qui partes Pontificum contra Imperatores; *Gibellini*, qui partes Imperatorum contra Pontifices tuebantur. Cum in Oriente laborarent res Christianorum, metropoli Mesopotamiæ *Edessa* (quæ Rages olim) à *Sanguino*, Persarum principe, capta, Conradus Imperator & Ludovicus VII. Galliæ Rex laborantibus opem tulerunt, maximis copiis in Græciam transeuntes: at cùm Græcorum perfidia, tum intestina dissidia optatis obstitere successibus. Floruit hoc tempore Scholasticorum pater, *Petrus Lombardus*, Magister Sententiarum vulgò dictus. Conradi Symbolum: *Pauca cum aliis, tecum multa* scil. loquere.

22. *Fridericus* I. *Ænobarbus aut*
1152. *Barbarossa* dictus Ann. C. 1152. *Mediolanenses*, non semel rebelles, vi subegit, supplicesque vita quidem donavit, at Urbe bonisque omnibus mulctavit, unde natus est *Ordo Humiliatorum*, necessitate scil. in Religionem versa. Hic Imperator Cæsareæ Majestatis vindex & Assertor magnanimus adversus insolentiam Pontificum, in graves incidit lites turbasque, invisus *Adriano* IV. qui hausta cum aqua musca interiit & *Alexandro* 3. qui Venatorum adjutus copiis opibusque, Imperatorem coegit, ut captum ab hoste Filium redemturus, ante ædem S. Marci Venetis ad ejus genua accideret culpæque veniam peteret, tum Alexander P. pede cervicibus impositio, adjecit illud è Psalmo Davidico: *Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & Draconem*, cumque ille respondisset. *non tibi, sed Petro, cujus Successor, pareo*, regressit Papa: &

& mihi, & Petro. Ita res vulgò narratur, quam & picturæ in palatio Veneto repræsentant, eandemque Phil. Melanchthon & complures alii pluribus argumentis confirmant, nonnulli tamen id factum negant, quorum potior videtur esse sententia Cl. Hornio in orb. Imper. p. m. 51. illud quidem, grassante in Viris Religiosis omni scelere, verissimè dictum est: *Religio ut peperit divitias, Filia præfocavit Matrem. Hermannum*, Comitem Palatinum, ob violatam, absente se, Pacem gestare coegit canem per milliare germanicum (probrosi id supplicii genus tum temporis erat) cum Henrico *Leone*, potentæ Saxoniæ Duce, à Pontificia factione corrupto, malam gratiam coluit; proscriptus is miras turbas dedit, *Northusana* exussit, tandem à Barbarossa victus, exulare jussus est. Hic Imperator expedione in Palæstinam suscepta, cum Saladinum & *Saracenos*, qui paulò ante, nempe Anno Christi

1187. Christianis pulsis fusisque, Hierosolymam ceperant, Victor aliquot præliis feliciter repressisset, in Cydno Ciliciæ fluvio, lavandi causa natans, vel aquarum vorticibus haustus periit, vel in morbum prolapsus vitam finiit, princeps nulli veterum virtute & amore Christi secundus. Symbolum ejus: *Qui nescit dissimulare, nescit imperare*, item: *præstat uni probo, quàm mille improbis placere.*

23. *Henricus VI.* Barbarossæ Filius, ob severitatem *Asper* dictus Anno 1190. C. 1190. Hoc anno à *Comite Eiligero* ad pedes *Hercynii* montis *Ilfelda* fundata est. *Walceroda* verò seu *Walkenreda* A. C. 1127. Henricum cum *Cælestinus* Papa inauguraret, pede coronam ejus in terram dejiciens, indicabat potestatem se habere Imperatorem ab imperio removendi. En specimen Papalis modestiæ! *Apuliam & Siciliam* cum recuperasset, Regem adversus se creatum, clavis acu-

acutissimis diademate capite affixo, necavit cum liberis, cæteris rebellionis auctoribus excoriatis, exoculatis, stipitibus suffixis; ea atrocitate non asperi tantum, sed crudelis etiam nomen Imperatoris promeritus. *Henricus Leo* magna res gerit his temporibus, Brunsvigam amplificat munitque, at *Bardevicum*, antiquissimam nobilissimamque eo tempore Urbem, expugnat, excidit. Tandem amissis, quæ bello quæsierat, pænè omnibus, decessit, tradita lampade *Henrico Juniori* Fil. *Saladinus* etiam, Christianorum terror in Oriente obiit, cujus in funere, ipse ut jusserat, Præco, interiorem ejus tunicam, lancea suspensam, præferens, clamavit: *Saladinus Asiæ domitor, ex tanto regno tantisque opibus, præter hoc, nihil aufert.* Imperator etiam Henricus, dum expeditionem parat in Syriam, ex aquæ gelidæ haustu febrim sibi attrahit, quam mors consecuta est. Ejus Symbolum: *Qui tacere nescit, nescit loqui.*

24. *Philippus* 2. *Svevus* Anno C.
1198. 1198. cum enim Henricus VI. filium infantem, nomine Fridericum, successorem designasset, Philippus Henrici Frater, tutelam ejus suscepit, cui sese, impulsu Innocentii Pont. opposuit *Otto*, Henr. Leonis Filius & ille quidem à Moguntino, hic à Colonienſi Episcopo coronatus est. At pace inter eos facta certis conditionibus, Philippus, post venæ sectionem in cubiculo suo quiescens, Bambergæ interemtus est ab *Ottone Witelspachio*, cui ob cædis probrum filiam negaverat, Ottoni æmulo destinatam. Ejus Symbolum: *Satius recurrere, quàm malè currere.*

25. Philippo cæso, imperio præ-
1208. fuit *Otto* 4. Ann. C. 1208. In Italiam ille profectus de *Innocentii* P. manu coronam accepit; orta verò lite ab eodem excommunicatus, & à nonnullis electus est *Fridericus*, Barbarossæ nepos, cujus electioni & Papa

Inno-

Innocentius, Ottonis odio, subscripsit. Otto tandem à suis desertus in Saxoniam suam se recepit & febri correptus Hartisburgi decessit. Orti sunt his temporibus *Waldenses*, ab Auctore suo sic dicti, dicti iidem *Pauperes de Lugduno & Albigenses*, qui ore libero errores taxârunt pontificios, Sanctorum repudiarunt invocationem, Cœlibatum improbârunt Clericorum, negarunt purgatorium, &c. Hos cùm verbis ac minis coercere Papa non posset, ferro & flammis persecutus, suppliciis affecit crudelissimis; iidem tamen nec dum planè extirpati sunt. Ottonis Symbolum: *Interstrepit anser olores.*

26. *Fridericus* 2. deposito Ottone, Imperator factus A. C. 1212, Heros strenuus & eruditus Princeps, malam & ille gratiam cum Pontificibus Roman. coluit, quinquies ab iisdem excommunicatus. Primum à *Gregorio IX.* infami Simoniæ defensore & imperatoriæ Majestatis hoste gravissimo, ob 1212.

dilatam Expeditionem in Palæstinam, anathemate percussus est, qua expeditione non sine successu suscepta, Papa cum Sultano Turcico per literas collusit, qui suis proditrices monstrans literas: adjecit: *En fidem Christianorum!* etiam per quendam *Johannem Brennum* Apuliam & Calabriam occupavit; at Imperator, pactis cum Sultano induciis decennalibus, amissa brevi recuperavit & literis publicis, cum innocentiam suam, tum Papæ insolentiam demonstravit, contemtor bruti anathematis: nam & *Innocentius IV.* singulare impietatis exemplum, coacto Lugduni concilio, omnibus eundem diris devoverat, subornatis etiam sicariis, qui deprehensi capite scelus luerunt. Hic Innocentius majorem Cardinalibus suis auctoritatem conciliaturus, purpureis vestibus pileoque eosdem nobilitavit. Anti-Cæsares impulsu Pontificis fuêre *Henricus*, Hassiæ
1245 Landgravius Ann. C. 1245. qui fugita-

ta percussus in Ulmæ obsidione obiit: & *Wilhelmus*, Hollandiæ Comes An. C. 1247 qui ab eodem Con- 1247
rado victus atque ad suos redire Frisios coactus, glacie periit. *Ferdinandus*, Castellæ Rex, Hispalin, Urbem in Hispania nobilissimam, recuperavit, occisus Maurorum centum millibus: *Ludovicus IX.* Rex Galliæ iter in Palæstinam suscepit, varia fortuna & infelici successu. Tandem & *Fridericus* vitæ turbarumque satur, in Apulia morbo, vel, ut alii volunt, veneno dato decessit. Sunt, qui à Manfredo, è pellice nato Filio, suffocatum esse scribunt. Epitaphium, seculi istius simplicitatem spirans, ei scriptum est tale:

Si Probitas, Sensus, Virtutis gratia, Census,
Nobilitas orti possent obsistere morti,
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Innocentius etiam Pont. tot turbarum & malorum fax & tuba ad plures abiit, plangentes Amicos in ultimis his verbis allocutus: *quid lamentamini, nonne vos omnes divites relinquo? quid ultra requiritis?* Floruerunt h. t. *Albertus M.* cum discipulo suo *Thoma de Aquino*, *Accursius* JCtus, item *Robertus* quidam Anglus, qui in Curiam Rom. hos torsit versiculos:

Ejus avaritæ totus non sufficit orbis,
Ejus luxuriæ meretrix non sufficit omnis.

Friderici 2. Symbolum: *Minarum strepitus asinorum crepitus.*

27. *Conradus* 4. Friderici Fil. An. 1205. C. 1250. Is hæreditaria Regna, Neapolis & Siciliæ, recuperaturus, adiit Italiam & à Manfredo, Fratre spurio, iisdem Regnis inhiante, veneno sublatus est, moriens hæredem quidem scripsit Filium *Conradinum*, at Siculi Regem constituere *Manfredum*, cui infen-

infensus Papa Clemens *IV. Carolum* Andegavensem Regem Siculum creavit, Manfredo ab hoc victo cæsoque, Conradinus paternam repetiit hæreditatem, at infelici prælio captus, inclementi Clementis Papæ sententia (rescripserat enim Clemens Carolo, quærenti, capto quid faciendum putaret, *Vita Conradini, Mors Caroli,*) secuti percussus est Neapoli, & *Carolus* Rex quadringenta aureorum millia Fisco Romano jussus quotannis solvere.

28. Conrado mortuo, aliquot annorum interregnum fuit, aliique Germaniæ Principes *Richardum*, Henrici 3. Angliæ R. fratrem, Regem elegerunt Anno C. 1256. alii *Alphonsum*, Regem Hispanorum: at Richardus in Angliam paulò post revocatus, vacuum reliquit imperium; & Alphonsus, domesticis bellis implicatus, possessionem imperii non adiit, dum à Sancio Fil. Regno exclusus, in exiguo Murciæ angulo,

quod

quod reliquum fuit vitæ, exigere *Rex* tantus coactus est. Ita & imperium aliquamdiu capite caruit & Ecclesia, dum per solidum triennium Cardinales de successore Clementis IV. disceptârunt. Hoc tempore *Robertus Sorbones* Ludovico, Galliæ Regi, autor fuit, ut Parisiis collegium Theologorum excitaret, cui ab eo nomen est *Sorbona*. Cum ingentum etiam malorum causa esset ἀναρχία, per vicos & oppida ingens discurrit caterva se *flagellantium*, culpæ veniam hoc pacto deprecans, exemplum & hodie sunt, qui sequuntur in Papatu.

Periodus IX.

A Rudolpho I. Habsburgensi ad Carolum V. ab A. C. 1273. ad A. C. 1519.

I.

FLuctuans imperium confirmat *Rudolphus I. Habsburgensis* Anno 1273 C. 1273. Magni princeps animi ac ra-

ræ Virtutis. Cum *Ottocaro* (Scribendum alii putant *Ottogarus*, quasi gar Ottisch / eo quod Ottonis IV. Imp. partibus constanter faverit, totus Ottonicus, quod etiam cognomen ad Successores transmisit. Cl. Horn. Orb. Imper. p. m. 126.) Bohemiæ Rege potentissimo, cujus & ipse minister antehac & aulæ Magister fuerat, bellum gessit eumque victum coegit veniam pacemque petere supplicem. Spectaculo digna res fuit: num ad Rudolphum, vestium splendorem contemnere solitum, inque vili habitu ingentem prementem animum, ut loquitur Historicus, accessit ille exquisitissime ornatus atque ad genua prostratus honorem, Victori quem debuit, supplex præstitit; ita exemplo suo Imperator insolentiam stulti regis castigavit, quem etiam pactis non stantem, impulsu Künegundæ conjugis, denuo aggressus, vicit prælioq; victum interfecit, uti & omnibus pœne præliis victor, *Victoriosi* cognomen est adeptus.

Regio

Regio aliquando diademate conspecto, *si nossent*, ajebat, *moriales, quantum molestiarum sub splendore tuo lateret, humo te nemo tolleret.* Pauperum neminem aditu suo arceri voluit à satellitibus, inquiens, *non in hoc electus sum, ut arcula concludar.* Frequens in ore fuit hæc sententia: *sevorum & immitem me fuisse aliquando pœnituit, lenem & placabilem nunquam.* Idem LX. arces latronum in Thuringia & locis vicinis diruit. Italiam adire noluit, usurpans illud vulpeculæ: *quia me vestigia terrent, &c.* multis tamen Italæ civitatibus plenam libertatem in detrimentum imperii vendidisse & Romandiolam Pontifici donasse dicitur. Senex morti vicinus, *eamus*, dixit, *Spiram ad alios Reges:* ivit, & in itinere moriuus, Spiræ sepultus est, *Siculi*, Francorum tyrannidem pertæsi; inita conspiratione, Francos omnes, ipso Resurrectionis Dominicæ die, signo dato ad preces vespertinas, trucidarunt An. C. 1282. unde natum

1282.

pro

proverbium: *Vesperæ Siculæ.* Hinc Francorum vim & vindictam metuentes Siculi, ad Martinum Pont. Oratores misêre, qui non dubitarunt eum, ut Christum salutare, dum ad pedes provoluti exclamârunt, *qui tollis peccata mundi, miserere nostri*, hinc Siciliæ regnum pervenit ad *Petrum*, Aragoniæ regem, cui *Conradinus* ille, quo de supra p. 205 jussu Caroli in foro Neapolitano decollatus, ante, quàm collum gladio præberet carnificis, projecta chirotheca, ut fidei pignore, & regnum, & ultionem commendaverat, *Hamelenses* circa hæc tempora amisisse dicuntur 130 pueros, à Mago quodam ob negatam mercedem, cum paulò ante mures fistulæ cantu urbe eduxisset, eductos. Historiam hanc alii esse autumant, alii fabulam. Vid. Exodus Hamelensis *M. Sam. Erichii*, & fabula Hamelensis *Mart. Schoockii*, Rudolphi 1. Symbolum: *melius bene imperare, quàm imperium amplificare.*

2. Adol-

1292 2. *Adolphus* Nassovius A. C. 1292. ope hic Episcopi Moguntini imperatoriam adeptus est dignitatem, stipendiariam ille militiam pollicitus Eduardo, Angliæ Regi, in contemtum venit principum atque adversus eum insurrexit *Albertus* Austriacus, qui & Adolphum prælio victum sua manu interfecit. A. C. 1298. quanquam ea victoria victoribus, vindice Deo, funesta fuit: nam & *Albertus* decennio post à propinquo suo interemtus est, & cæteri Episcopi Comitesque, qui ab Alberti steterant partibus, miseris omnes modis periere. *Benedictus* Cardinalis *Cælestinum* Papam piè simplicem perpulit, ut pontificam, quem ipse ambiebat, quem & paulò post adeptus est, se exueret, dum longa arundine per parietem quiescenti acclamavit: *cede, Cælestine, cede, Papatum nisi dimittes, animam amittes.* Adolphi Symbolum: *Animus est, qui divites facit*, vel, *pecunia vir potior.*

3. Al-

3. *Alberius Austriacus* A. C. 1298. 1298
Hic tria hominum genera sibi charissima esse dixit, nempe *Fœminas pudicitiæ laude claras*, *Clericos religiosos*, *milites strenuos*. In Gallia eo tempore regnavit *Philippus Pulcher*, qui *Bonifacio IIX.* Pont. (hic est *Benedictus* ille, cujus paulò ante facta est mentio) per literas atrocia sibi minitanti rescripsit: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nulli nos subesse.* Hic Bonifacius & Pontificem se, & Regem gessit, quippe qui, cum novus Iperator Edictionis suæ confirmationem per Oratores pro more petiit, ense accinctus & corona imperiali ornatus, disertè, *ego sum*, dixit, *Pontifex & Cæsar.* Vulgò de eo dictum est: *intravit, ut vulpes, regnavit, ut Leo, mortuus est, ut canis.* Papatus, eo mortuo, translatus est in Galliam An. C. 1305. & Avenione mansit ad annos 72. Seculi hujus finis finem attulit Regno Christianorum in *Syria*. *Templarii* dites ac potentes, mandato Philippi,

Gal-

Galliæ R. & Clementis V. Pont. consensu passim trucidantur, suspecti magii, quàm convicti criminum; bona eorum maximam partem Pulchro & Papæ cesserunt. Ita verè, quod ait Juv. Sat. 10. *congesta pecunia multos strangulat.* *Helvetii*, Præfectorum injuriis adacti, in libertatem se vindicant eamque, Præfectis ejectis, inito inter se fœdere, tuen-
1307. tur Ann. C. 1307. Primum inter se fœdus pepigerunt, *Svviz*, *Uri* & Underwalden, cumque omnium primi fuerint *Svvitsenses*, quicunque fœderi eorum accesserunt, dicti sunt *Svvitseri*. *Anglica* quædam *Virgo*, inaudita inventrix hæreseos, prodiit, Spiritum S. se esse affirmans, incarnatam in salutem sexus fœminei; ea cum è vita exysset, Mediolanum deportata & combusta est. *Albertus* Imp. à Johanne, Fratris sui filio, interficitur. Symbolum ejus: *Quod optimum, idem jucundissimum.*

4. Henr

4. *Henricus VII. Lutzenburgicus* A.C. 1308. magni Princeps animi, in Italiam cum exercitus profectus, factiones turbasq; composuit, Cremonenses, funibus collo insertis, pacem petere coacti sunt, cæteri majorem vim metuentes imperata ultrò fecêre. Imperatoriæ certè majestatis hic Imperator vindex & assertor fuit maximè strenuus, ad quem cum legati venissent Argentinenses petitum privilegiorum suorum confirmarionem, & jussu se Dominorum suorum venisse dixissent, nullo Imperator responso eos dignatus est; postea verò quam, mutatis verbis, ita præfati sunt: *cives vestri Argentinenses hoc orant*, benigna tulêre responsa votique sui sunt compotes facti. Idem decrevit Imperatorem Rom. Pontifici juramentum præstare non debere, iniquum esse ratus orbis terrarum Dominum servo servorum fidelitatis juramento obstringi; at *Bernhardus* Monachus, veneno sacro calici misto, per inauditum scelus stantem 1308.

tem hanc imperii columnam subvertit. Monachus vivus excoriatus est & monasterium exustum. *Turcæ* latissimè vagati & dominati sunt, Ducem *Ottomannum* secuti manu fortem & consilii plenum, cujus principatus
1297. initium refertur ad An. C. 1297. Ab hoc imperii Turcici fundatore Constantinopolis, quæ hodie sedes est Sultani Turcici, dicitur *Porta Ottomanica*. Henrici Symbolum: *Calix vitæ, Calix mortis.*

1314 5. *Ludovicus V.* aliis *IV.* A. C. 1314. Anti-Cæsarem Fridericum Austriacum, cognomine Pulchrum, cum diu Marte vario pugnatum esset, tandem vicit cepitque & his conditionibus dimisit, ut, quoad viveret nomen, non verò jus & potestatem Imperatoris usurparet. Ferunt Leopoldum Fratrem egisse cum Necromantico, ut Dæmon sub habitu viator Fridericum educeret custodia; ille verò, cum venisset viator execrabilis, precibus Deo se commendavit, tamque

fœdi

fœdi est Liberatoris gratiam opemque aspernatus. Cum Pontificibus Romanis & huic Imperatori malè convenit, affirmanti nullum Pontifici jus competere in Imperatorem, cum distinctæ sint potestates, civilis & Ecclesiastica, hinc *Johannes* XII. Pont. Imperatorem excommunicavit (*Benedictus* XII. & *Clemens* VI. Successores eandem excommunicationem approbârunt, confirmârunt,) qui nihilo minus Romam perrexit & Mediolani ferrea Romæ Imperial. corona coronatus, habita Synodo, Papam, omnium sentinam scelerum, dejecit eique surrogavit *Nicolaum V.* idem verò, Imperatore in Germaniam reverso, honorem ejurare coactus, in carcerem conjectus est vitamque in ærumnis peregit. Hic Pontifex ille est, cui, Byzantinos ad disputationem provocanti, à Græcis rescriptum est: *Potentiam tuam summam circa subditos tuos firmiter credimus, superbiam summam tolerare non*

possumus, avaritiam satiare non valemus; Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. Idem decimo nono Papatus anno decedens, thesaurum reliquit XXV. Millionem ut volunt, tum enim temporis circumferebatur tritum illud: *Curia Romana non pascit ovem sine lana.* Item, *Roma manus rodit, quas rodere non valet, odit.* Horrenda pestilentia Europam Asiamque miserrimè afflixit, ita ut nec tertiam hominum partem in Europa reliquerit incolumem, ejus pestilentiæ causa Judæis imputata est, veneno puteos inficientibus, unde ingens eorum multitudo passim trucidata, *Eduardus 3.* Potens Angliæ Rex *Garterianum* Ordinem Equitum (vulgo vocantur die Ritter deß blauen Hosenbandes) condidit cum Symbolo: *pereat, qui malè cogitat. Ludovici* Imp. Symbolum: *Sola bona, quæ honesta. Friderici Pulchri*; *Morte beata vita beatior.*

6. *Carolus IV.* Rex Bohemorum

Au-

An. C. 1346. emtis Colonienſis & Saxonis ſufftagiis, obtinuit tandem imperium, quod Eduardus *R.* Angliæ oblatum recuſavit, Fridericus, Misniæ Marchio, ampliſſimis à Carolo muneribus corruptus, non adiit. *Günterus*, Comes Schvvartzburgicus, ſtrenuus vir & bellicoſus, Imperatoris quidem nomen imponi ſibi paſſus eſt, at ſexto poſt menſe deceſſit. Fœda peſtilentiæ lues totas propemodum provincias civibus & colonis exhauſit. *Carolus* Bohemiam ſuam ampliſſimè ornat, novam Pragam condit, fundata ibidem Academia, ambitionem ſimultatesque Electorum in electione Imperatoris tollit Sanctione, quam *Auream Bullam* vocant, eaque Carolina conſtitutio hodieque apud Principes viret vigetque. Idem tandem Imperator omnia omnibus in Italia conceſſit, pecuniam numerantibus, ipſum imperium venditurus, ſi emtorem habuiſſet; unde 1346

Maximliianus I. Imp. dicere solitus est *pestilentiorem eo pestem Germaniæ non contigisse.* Ab aliis *dissipator & vitricus Imperii* dictus est. Romæ regnabant scelera, avaritia præsertim & luxuria, unde Palatio Clementis P. affigebatur epistola, qua Princeps tenebrarum eundem salutabat Vicarium. *Hanseaticæ Civitates* mutuo se fœdere colligant. *Bartolus & Baldus* JCti florent Symbolum Caroli: *Optimum aliena insania frui.*

7. *Wenceslaus*, Caroli Filius, coemtis suffragiis, imperio potitur
1535 Anno C. 1378. crudelitatis, libidinis omniumque flagitiorum mancipium; assiduus ei comes adhæret carnifex, quem & familiariter *Compatrem*, cum filium ejus de sacro fonte levasset, salutabat, hic equo sæpe desiliit jussus hominesque ad mortem rapit innocentes, quam tyrannidem pertæsi Pragenses in carcerem eum conjiciunt, in eo fœtore & squalo-

re
exo
des
tric
con
at
fact
ficii
capt
&
etia
bitu
tran
bell
ardo
no
poti
dibu
vim
temp
ter d
VI. u
nam
vers

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101867070X/phys_0222
Mecklenburg Vorpommern

re cum quatuor menses exegisset, exorat Senatum, ut balneo sibi sordes abluere liceat; hinc ope balneatricis *Susannæ*, quam postea tori consortem fecit, nudus elabitur, at eo casu nec melior, nec mitior factus, per compatrem suum carnificinam ipse exercet; hinc denuò captus, Alberto Austriaco traditur & Viennam transportatur; sed his etiam è vinculis ope Piscatoris elabitur, quem ea propter in equestrem transcripsit ordinem. Tormentum bellicum, cui *Bombarda* à bombis & ardore nomen est, reperta à Germano quodam *Bartholdo Nigro*, ejus potissimùm ope Veneti, multis cladibus fracti, Genuensium victorum vim feliciter repulere. Papatus hoc tempore biceps fuit, & Papatum alter dictus *Clemens VII.* alter *Urbanus VI.* uterque diplomatibus vitam æternam pollicebatur pugnantibus in adversarium. In Bohemia *Johann Huss*,

Wicliefi Angli sectator genere, pietate, ingenio clarus, in Paparum scelera linguam calamumq; strinxit, pontificias superstitiones & ἐθελοθρησκείας vehementissimè exosus. Anno 1389. *Margaretha*, Mater Olai, Regis Daniæ, Danorum Semiramis, *Albertum Megapolitanum*, Sveciæ Regem, qui eam Reginam sine braccis dixerat, prælio victum cepit, trium Regnorum, Daniæ, Sveciæ, Norvvegiæ Regina. *Bajazetes*, Sultanus Turcicus, à *Tamerlane*, (dictus est *Temur Lanus*, i.e. claudus, unde nata vox Tamerlanes) Scytharum Principe, domi forisque felicissimo, victus captusque & aureis catenis vinctus, ferreæ caveæ inclusus est, & victori equum conscendenti, dorsum supponere coactus, miserabile domitæ ferociæ spectaculum toti Asiæ præbuit, dum calamitatum impatiens, illiso ad caveam capite; ipse sibi mortem consciviit. Symbolum Wenceslai: *Morosophi moriones pessimi.*

8. *Ru-*

8. *Ropertus Palatinus* An. C. 1400.
Wenceslao, imperii dehonestamen- 1400
to, potestate ab Electoribus exuto, successit. Equidem communi Principum suffragio, Imperator designatus est *Fridericus* Brunsvicensis, non impar tanto fastigio; at in itinere à Comite Waldeccensi, instinctu Præsulis Moguntini, interemptus est; unde proverbio vulgatum: *Moguntia ab antiquo nequam*, vel, ut habet versus:

Regula conficta, nequam Moguntia dicta.

Rupertus quidem Italiam ingressus est, alienatas ab imperio partes ad officium revocaturus, at irrito conatu. Romanæ sedi præfuit *Bonifacius IX.* palàm Simoniacus, qui lege sanxit, ut ad Sacerdotium nemo promoveretur, nisi primi anni reditus, pecuniis æstimatos, fisco Romano solveret Ruperti Symbolum: *Miseria res digna misericordia.*

8. *Jodocus Barbatus*, Marchio Mo-
1208. raviæ An. C. 1410. sola barba Vir, cæ-
tera ad res gerendas ineptus atque
à virtute inops, quinque ille mensi-
um imperio functus decessit, eique
successit *Sigismundus*, Rex Huugariæ,
Wenceslai Frater Ann. C. 1411. Prin-
ceps & Carolos & Ottones, nisi co-
natibus iniquior belli fortuna obsti-
tisset, æquaturus. Eruditos maximè
fovit & amplissimis affecit muneri-
bus, affirmans *naturâ aliis antestare,*
qui pollerent ingeniis, divitias & muni-
ficentiam Principum fato obtingere.
Hoc Imperatore Papatus triceps fuit,
quapropter habitum est *Concilium*
Constantiense An. C. 1414. in eo *Johan-*
nes XXIII. Papa convictus quadragin-
ta criminum, Pontificatu exutus est
& carceri mancipatus, communio sub
utraque specie damnata & *Johann.*
Huss. & Hieronym. Pragensis, acerbius
in errorem vitamque Pontificum in-
vecti, contra datam à Cæsare fidem
cremati sunt, Patribus affirmantibus,

fidem

fidem Hæretico non esse servandam, id quod tamen pugnat cum natura, Scriptura & jure gentium. *Huss* mediis in flammis hymnum cecinit. *Hieronymus* in carcere diu detentus tandemque ad ignem damnatus, cum lictor à tergo flammam injicere vellet, *huc*, dixit, *accede & in conspectu meo ignem accende: nam si hunc timuissem, huc non accessissem.* In ipsa flamma Symbolum cecinit & illud Davidicum: *circum dederunt me Viri mendaces.* Indignissima hac suorum cæde irritati Bohemi, Hussitæ, res novas moliuntur eorumque Dux *Johannes Zisca*, cœcus licèt maximas res gerit, hostium terror & fuga, qui peste extinctus suos ante obitum jussisse dicitur, ut cute sibi detracta, tympanum ea tegerent, ratus ejus hostes audito sono, fugam arrepturos; & quidem violatæ fidei vindice Deo, Sigismundo in bellis nihil cessit feliciter. *Amurathes* 2. Sultanus Turcicus, Constantinopolin obsidet,

at re infecta discedit; gravis Hungariæ hostis, quippe qui Serviam, quæ nunc Rascia dicitur, vastavit, Belgradum oppugnavit, Hadrianopolin expugnavit, Floruere doctissimi Viri *Johannes Gerson*, Laurent. Valla, alii Sigismundi Symbolum fuit: *Sic cedunt munera fatis.*

1438 10. *Albertus 2.* Gener Sigismundi Ann. C. 1438. Liberalitate & Fortitudine Princeps clarus, ob Religionis studium *Monachus* dictus, at biennium tantùm imperio præfuit & Elisabetham conjugem reliquit moriens gravidam, quæ peperit *Ladislaum Posthumum*, cui quadrimestri infantulo corona Hungarica imposita est. In *Concilio Basileensi Annatæ* (hæ erant primi anni reditus à quovis Sacerdote ad ærarium Pontificis deferendi) abrogantur, & Papa concilio subjicitur, hujus concilii decreta sub nomine *Pragmaticæ* Sanctionis Rex Galliæ Carolus VII. appro-

approbavit ; at Eugenius P. huic concilio opponit *Ferrariense*, quod postea Florentiam translatum est, cui & Græci cum Imperatore suo & Patriarcha interfuerunt, qui auxilii adversus Turcas egentes multa concesserunt Romanis, & Papæ primatum agnoverunt; at domum reversi à Suis malè accipiuntur, & acta ista rescinduntur. Eugenius Pontificatu à concil. Basileensi indignus iudicatur, & in ejus locum eligitur *Felix V. Zigeuni* hoc tempore; ex Ægypto profugit Germaniæ primum innotuerunt. Alberti Symbolum: *Amicus optimæ vitæ possessio.*

11. *Fridericus Tertius* Austriacus Ann. C. 1440. *Vladislaus*, Poloniæ 1440 Rex, Duce *Joh. Hunniade* adversus Turcam feliciter rem gerit, tandemque cum *Amurathe* decennales paciscitur inducias, quas tamen à *Juliano*, Pontificis Legato, persvasus violat, at, Deo perjurii vindice, *Amu-*

rathes Turca ad Vatnam, prælio victor, ingenti clade Christianos afficit Anno C. 1444. ipso Rege *Vladislao* & *Juliano* Cardin. interfecto. Fridericus Imper. imperium Hungariæ oblatum accipere recusat, hæreditatem suam servandam esse ratus Ladislao, Alberti Filio posthumo. Hic *Ladislaus* duodeviginti annos natus, *Matthia*, Filio Hunniadis, rebus adversus Turcas gestis clarissimi, incarcerem conjecto, nuptias peracturus cum Magdalena, Franci R. filia, in Bohehemiam abit, at in ipso nuptiarum apparatu moritur & ad Matthiam captivum diadema defertur regium. Ita alter ex solio regio, dum novæ nuptæ exornat thalamum, defertur ad tumulum, alter è carcere vocatur ad Regnum. *Typographia* inventa circa Ann. C. 1450 à *Joh. Fausto* Moguntino, ejusque puero *Petro Schaffer* de Gerensheim 3. primum specimen edidit *Johan. Guttenbergius*, Argentinensis, genere in-

1450

genio-

genioque nobilis. *Amurathes* oppugnat Epirum & Albaniam, quam masculè defendit *Johann Castriota*, vulgò dictus Alexander seu *Scanderbegus*, magni Heros, & animi & roboris. *Mahumetes* 2. qui solus Christianis ademit provincias XX. Urbes CC. summa vi oppugnat Rhodum tandemque, Romanis auxilia Græcis negantibus, nisi papæ Primatum agnoscant, e pugnat An. C. 1453. ultimo Græcorum Imperatore *Constantino Palæologo*, obsequente voluptati: negligente imperii Principe, à Turcis Urbs potentissima Constantinopolis expugnata, per triduum direpta est, cædibus & stupris indultum liberalissimè, christianæ fidei mirificè illusum, atque ita Græcorum imperium concidit cum Urbe Principe Constantinopoli sub Constantino, quod nomen salutare erat Constantinopoli, cum Christum ritè coleret; exitiale, cum suis voluptatibus indulgeret.

dulgeret. Romanæ sedi præfuit Papa *Æneas Sylvius*, Vir doctissimus, *Pius II. dictus* Ann. C. 1458 dicere solitus *Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majore restituendas videri. Ut in mare flumina, sic in magna aulas vitia fluere. Cui plura nosse datum sit, eum majora sequi dubia.* Successit huic *Paulus 2.* contemtor literarum, adeó ut *Viros doctos Hereticos* appellaret. Innocentius IIX. hoc meruit Epitaphium:

Octo nocens pueros genuit totidemq; puellas.
Hunc merito potuit dicere Roma Patrem.

Floruêre Viri docti *Pomp. Latus, Platina, Pontanus, Bapt. Mantuanus* & alii Fridericus imperii anno 53. mortuus est, pacis studiosior, quà è re esset Reipublicæ. Ejus Symbolum: *Irreparabilium felix oblivio rerum.*

12. *Maximilianus I.* Friderici filius, Princeps laudatissimus anno C. 1493. 1493. Plurima bella gessit varia fortuna;

tuna, cum Helvetiis octies conflixit, sub imperii jugum eos reducturus, at libertatem illis relinquere coactus est. Cum Legatus Venetus bellum indixisset hac formula: *S. P. Q. Venetus indicit bellum Maximiliano*; ipse placidè respondit: ite *& gerite bellum simili stultitia, quâ indixistis.* De Præceptore suo Petro, plagoso & spinoso, qui eum in dialecticis argutiis æquo diutius detinuerat, dixit: *si jam viveret Præceptor meus, pœnas penderet sua futilitatis.* Loca suppliciis destinata præteriens solebat dicere: *Salve Justitia.* Divina Imperator memoria, singulari eloquentia, mira castitate, mortalitatis memor, funebrem capulum, annis aliquot ante mortem secum circumferri jussit & Testamento moriens cavit, ut corpus suum exanime sine ulla extenteratione, rudi linteo involutum, capulo inferretur, viva calce, ut citò putresceret, conspersum. Fata sua & res à se gestas ipse Imperator

tor libro complexus est, cui titulum fecit Theur. Danck. Romæ dominatus est *Alexander VI.* Simonia ac libidine infamis, qui purpuram pecunia redemit, unde nati hi versus:

Vendit Alexander Claves, Altaria, Christum.
Vendere jure potest, emerat ipse prius.

Filia ejus fuit Lucretia, de qua Joh. Pontanus.

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri Filia, Sponsa, Nurus.

Actius Sannazarius de eodem:

Pollicitus Cœlum Romanus & astra Sacerdos.
Per scelera & cades ad stygа pandit iter.

De Romanis moribus Mantuanus:

I pudor in villas, si non patiuntur easdem
Et villa vomicas, Urbs est jam tota lupanar.

Amo-

Americus Vesputius, Florentinus, auspiciis Ferdinandi Hisp. R. & Isabellæ, Uxoris ejus prudentissimæ, terrem continentem orbis novi, qui ab ejus nomine *America*, & à situ *India occidentalis* dicitur, detegit Ann. C. 1497. eodem anno *Guasco Gama*, homo Lusitanus, superato bonæ spei Promontorio, primus in *Orientalem Indiam* navigat, cum quinque ante annis insulas Americæ detexisset *Christophorus Columbus*. Unde *America* suos acceperit incolas incertum. *Norvvegos* per Grönlandiam primos in septentrionales ejus partes esse delatos autumat *H. Grotius*, at paucis ea probatur opinio. *Cl. Hornius* viginti sententias de origine Americanorum admodùm discrepantes recenset, unde patet, de hac quæstione vix quicquam certi posse statui & pronunciari. *Jus* in Americam sibi arrogant Reges Hispaniæ ex donatione Papæ, Alexandri VI. eam verò donationem rei alienæ nullius esse momenti nemo non

vtdet.

videt. Alioqui regnum *Mexicanum* annis subactum à Ferdinando Cortesio Ann. 1519. & *Peruvianum* non multò post à *Francisco Pizarro*, in Hispanorum devenit potestatem. Alexandro mortuo, successit *Julius* 2. P. bellator strennus, qui claves in Tiberim abjecisse fertur, adjiciens *valiturum Pauli gladium, cum Petri claves nihil sibi prodessent*; at ex bellis suis nihil, præter dedecus, reportavit. Hunc Julium excepit *Leo X.* Φιλάρχης, qui dum intolerabili Simonia credulæ plebis crumenas emungit, (exemtio animarum ex igne purgatorio decem solidis æstimabatur) Reformationi occasionem præbuit: *Martinus* enim *Lutherus*, pauperum sanguis parentum, Islebiæ natas A. 1483. Monachus primùm postea Professor Theol. Witebergæ publicè theses ad valvas Arcis Templi affixit A. C. 1517. quibus acerrimè impugnavit blasphemias Joh. Tetzelii, affirmantis nihil non sceleris papalibus de

deleri indulgentiis, pecunia redimendis. Non multò ante Angelus, moli Adriani impositus, Romæ fulmine dejectus est, futuræ Papatus ruinæ præsagium. Maximilianus, Imper. de quo Scaliger, *Si cum*, ait, *dixero omnibus numeris præstitisse reliquis Principibus, minus forsan dixero, quàm verum est*, cum in ultimis prælegi sibi jussisset Passionis Dominicæ Historiam, sub illa verba, quibus Servator Spiritum reddidisse narratur, & ipse spiritum dimisit Anno C. 1519. Ejus Symbolum: *Tene mensuram & respice finem.*

Periodus decima & ultima.

Ab Anno Christi 1519. usque ad annum Christi 1672.

Paragraphus 1.

CArolus V. Maximiliani nepos A. C. 1519. Germanorum Cæsarum vix ulli virtute & potentia secundus. Ad Comitia ille Wormatiensia

sia Lutherum evocat, qui Palinodiam canere recusans, cum sociis omnibus
1521. proscribitur An. C. 1521. Elector verò Saxoniæ Lutherum in arcem, cui nomen Wartberg, prope Isenacum, abductum, adversus vim & insidias hostiles tutatur. Leo X. Pontifex eundem excommunicatum cum scriptis suis igni adjudicat; at Lutherus Bullam excommunicatoriam & Jus Pontificium Witebergæ comburit, adjiciens illud Samsonis: *quemadmodum fecerunt mihi, ita feci eis.* Anno 1513. *Christiernus II.* Rex Daniæ, immani Tyrannus feritate, cùm, Svecia subacta, in Danos æquè ac Svecos crudelissimè sæviret, utriusque Regni incolæ, justis incensi furiis, Tyrannum omni exutum potestate perpetuo carceri mancipârunt, inqua miseranda captivitate Anno 1559. animum exhalavit. Rustici seditiones turbasque passim excitant An. C. 1525. Duce eorum in his regionibus *Thoma Muntzero* Alstedensi, concionatore fanatico,

tico, at victi cæsique maximo suo malo didicerunt Magistratus à Deo institui auctoritatem haut impunè violari. Dux ipse Muntzerus Franckenhusæ captus, capite mulctatus est. Hunc qui sequebantur Ducem ruricolæ, cohortibus, suis præferebant vexilla, in quibus rota picta erat, unde hodieque faces & tubæ seditionum appellari solent Rädelesführer. Eodem anno Carolus V. Galliæ Regem *Franciscum I.* prælio victum, ad Papiam in Italia vivum capit, neque, nisi duris admodum conditionibus, dimittit. Memorant captivum Franciscum Cæsaris symbolo in pariete scripto: *Plus ultra*, subscripsisse: *hodie mihi, cras tibi*: Adjecit Cæsar: *homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Mox A. C. 1527. ortis litibus inter Cæsarem & Pontificem, *Clementem VII.* Roma capta, direpta & Papa, in Mole Adriani aliquamdiu obsessus, imperata facere coactus est. *Joh. Sepusius*, Transsylvaniæ Palatinus, Regis Hungarici titulum affe-

1527.

ctat

ctat & Ferdinando, Caroli V. Germano impar viribus, *Solymanni*, Sultani Turcici, tutelam & opem implorat. Hic *Budam* occupat, *Viennam* in
1529. Austria obsidet An. C. 1529 at frustra. Adversus sententiam, in Conventu Spirensi eodem anno latam, contra Evangelicos, hi publicè protestantur, quæ origo fuit nominis *Protestantium*, eorum *Confessio* An. C. 1530.
1530. oblata est Carolo V. in Comitiis Augustanis, unde dicta est *Augustana*. Circa hæc tempora Rhodii milites, Rhodo à Turcis occupata, indultu Cæsaris *Militen* Insulam tuendam accepêre, & *Sudor Anglicus*, inusitatum morbi genus, millia mortalium plurima delevit. In Anglia mira mutatio Religionis fuit. *Henricus IIX.* Rex cum adversus Lutherum scripsisset, à Leone X. Pontifice *Defensor fidei* appellatus est; at idem cum divortium feciſſet cum uxore *Catharina*, in improbante Papa Clemente VII. exclusa Papæ potestate, se-

seipsum caput Ecclesiæ constituit & novam Religionis formulam it introductum, gravis & infensus omnibus eam non approbantibus, aam Romano-Catholicis, quàm Lutheranis. Successor ejus *Eduardus VI.* à *Thoma Cramero*, Archi Episcop. Cantuariensi in Reformata Relione institutus, abolita Missa, hanc introduxit; eo verò, raræ virtutis Principe, ætatis anno 16. veneno, ut putatur, è vivis sublato, Regnum adipiscitur *Maria*, Henrici VIII. Filia, Philippo 2. Hispaniæ Regi nupta, quæ Romano-Catholicam Religionnm reducit, interfectis Reformatam profitentibus, & in his paulò ante laudato Thoma Cramero, & *Elisabetha* Sorore ob eandem causam in vincula conjecta. At Maria mortua Anno 1558. Elisabetha illa è carcere ad Regnum pervenit, dicta *Amor & delicia subditorum*, qua regnante felicissimam fuisse Angliam Angli ipsi affirmant. Eadem Reformama-

matam Religionem restituit & moriens Anno 1603. Successorem & Hæredem declaravit *Jacobum VI.* Scotiæ Regem, qui primus Regna & Insulas Britannicas in unum corpus redegit, iisquæ præfuit sub nomine Magnæ Britanniæ, quo de paulò post. Ordinis Jesuitici primordia incidunt
1535. in Annum 1535. Auctor ejus fuit *Ignatius Lojola*, Hispanus, è milite, ut ipsi fatentur Jesuitæ, ferociſſimo factus homo religiosus, cujus sectatores orthodoxæ veritatis hostes & superstitionis defensores, Rerumque publicarum pestes esse, sunt, qui autumant, nec sine causa. Vid. Historia Ordinis Jesuitici *Elia Hasenmülleri.* Hoc anno B. Lutherus sacrum Codicem germanicè versum, ingenti Ecclesiæ bono, typis vulgavit. Paulò ante Anno Christi 1533. Monasterii in Westphalia furor exarsit Anabaptistarum auctore *Leidensi* sartore, vulgò dicto Johann von Leiden / adjutoribus

Knip-

Knipper dollinga & Krechtingo, qui, Urbe ab Episcopo expugnata, ignitis lacinati forcipibus, ad turrim suspensi &c. Concilium Tridenti indictum à Pontifice Pauto 2. An. C. 1546. quod sæpius interruptum duravit ad annum usque 1563. nomine Oecumenicum, re papale. Eodem anno *Lutherus* nullo victus fractusque labore & periculo, in patria sua, Islebiæ placidissimè obdormivit die Concordiæ, nempe 18. Febr. & cum eodem unà pax & concordia expirant, orto paulò post Cæsarem inter & Protestantes graviss. bello, in quo *Johan. Fridericus*, Elector Saxoniæ, constans Orthodoxæ fidei Assertor & Defensor à Cæsare capitur Anno C. 1547. cique ademta dignitas Electoralis conceditur *Mauritio*, qui & socero suo, Hassiæ Langravio, persuadet, ut Cæsari supplicem se sistat veniam ei ac libertatem pollicitus, at supplex ille fa&us Carolo, vinculis mancipatur, quæ causa fuit gravis belli

1546

1547

inter Cæsarem gesti & Mauritium, quo gener Socerum libertati restitu-
1548. it. An. C. 1548. nata formula inter religionis, vulgò *Interim* dicta, Auctorib *Julio* Pflug Episc. Naumb. *Michaële Sidonio*, Episcopo Martisburgensi & *Joh. Agricola* Antinomo, Cæsaris auctoritate quidem firmata, at neque à Protestantibus, neque à Pontificiis approbata, neque ineptè aut falsò vulgò dictum vindice: Seelig ist der Mann / der GOTT vertrauen kan / und willigt nicht das Interim, denn es hat den Schalck hinter ihm. Sic Interim, transpositis lititeris, *mentiri*, mendacia & fraudes celans ac reducens, rectè rejectum damnatumque. Circa hæc tempora prodit *Michaël Servetus*, Antitrinitarius, qui blasphema iusuper Arii dogmata aborco revocat, eaq; propter Genevæ à Calvino accusatus, cum resipiscere nollet,
1555 combustus est Ann. C. 1555. Discipulus ejus, *Lælius Socinus*, hæresin propagavit, cui successit *Faustus Socinus*, un-de

de hi hæritici dicti Sociniani. Carolus V. cui post captos fideles Deo Principes vix quicquam cessit prospere, curis laboribusque fractus, imperatoria se dignitate ultro abdicat, & Regna hæreditaria ultro abdicat, lium, imperium in *Ferdinandum* fratrem transfert Ann. C. 1556. ipse in cœ- 1556.
nobium quoddam Hispaniæ se abdit, & Religioni per biennium hic vacat, ministro usus Orthodoxo *Constantino*, qui post excessum Caroli, jussu Philippi R. Hispan. Hispali in foro vivus exustus est. In ultimis Imperator, sumtâ Eucharistiâ, *in me manes*, inquit, *dulcissime Servator, ego inte maneo.* Ita è vita migrat, potens ac felix Imperator An. C. 1558. Hic Caro- 1558.
lus, ut litus Hispanicum, primum attigit, terræ osculum fixisse & dixisse dicitur: *Salve, Mater mihi optatissima, nudus ex utero matris exivi, nudus ad te, tanquam alteram Matrem redeo, & quod unum possum pro tam multis in me meritis, corpusculum hoc & ossa mea dedicoque.* Symbolum ejus: *Plus ultra.*

2. *Ferdinandus I.* Anno C. 1558. Pacem ille Germaniæ restitutam confirmat, murmura fremitusque nihil moratus Papæ, *Pauli IV.* Lutheranis summè infensi, neque minùs Romanis ob sævitiam inviſi. *Succedit* ei *Pius IV.* qui Anteceſſoris sui deſerens vestigia, cum Ferdinando gratiam coluit, idem Concilium Tridentinum restaurat, & confirmat
1563. Anno C. 1563. *Philipus*, Hispaniæ Rex in Proteſtantes crudeliſſimè sævit, nec multò mitior *Franciſcus* Galliæ R. *Hugnotis* (ita di&i sunt, seceſſionem qui fecerant ab Eccleſia Romana, primùm per contemtum Cæsaroduni Turonum: cum enim vulgus in ea Urbe infantes nomine Hugonis, spectri cujusdam noctu pomœria Urbis obequitantis obviosque ut ferebant, pulsantis, terrerent, Reformatos metu nocturnos cœtus agentes, tanquam lemures, pueris monstrarunt digito atque ab Hugone Hugonotos dixere. Cl. Cluve-

verus ita putat appellatos à *porta Hugonis* apud Turonos, ad quam Sacris clam operaturi, convenerint alieni à pontificia superstitione. Epit. Histor. p. m. 683. Hornius verò ab *Hugone Magno*, Domite Parisienſi, Hugonotis nomen inditum esse putat in Orb. Imper. p. m. 230.) at annos vix natus sedecim *Franciscus* moritur eique succedit *Carolus IX.* paulò mitior. Ferdin. I. Symbolum. *Fiat Justitia & pereat mundus.* Item: *Accidit in puncto, quod non speratur in anno.*

3. *Ferdinandus* ad Superos vocatus, Virtutum imperiique Successorem relinquit *Maximilianum II.* Anno C. 1654. Belgæ missis Oratoribus, quos *Geusios* i. e. mendicos: ab habitu fortè dixêre Anno C. 1566. suspendi orant cruenta Regis Hispan. edicta, adversus Protestantes promulgata, at frustra. Mittitur in Belgium *Ferdinandus Alvares*, Dux Albanus, ἄνθρωπος ἀπάνθρωπος, is 1654.

Principes nonnullos viros ultimo afficit supplicio, in quosvis Veritatis confessores acerrimè saviens, quam tandem tyrannidem Belgæ pertæsi, intolerabilis servitutis jugo excusso, *Auriaco Duce*, in libertatem se vindicant, ita septem Provinciæ, quas *Confœderatum Belgium* hodie dicere consvevimus, Anno 1581. omnem fidem & obedientiam Regi Hispaniæ ejusque hæredibus abjurant, ut & pace inita perpetua Anno 1648. Rex Hispanus juri suo in has Provincias planè renunciavit *Philippus* Hispaniæ R. *Carolum* Filium, 22. annos natum, cum albanam sibi crudelitatem in Belgio exercitam displicere ostendisset, carceri mancipat, in quo & extinctus est incertumque fuit mor-
1568. bo, an vi perierit Ann. C. 1568. quem numerum exhibet versus Ovidianus.

FILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

Lanit.

Laniena *Parisiensis* incidit in Ann. C. 1572. dum Galliæ Rex *Carolus Nonus*, pontificio impulsu, *Hugonotarum* Primores ad Epulas nuptiales *Henrici*, Navarræ Regis & Margarethæ, sororis suæ, invitatos, inaudita crudelitate, Bartholomæi nocte d. 24. Aug. trucidari jussit, gloriatus in literis ad Pontificem datis, jussu suo paucis diebus sepuaginta millia Evangelicorum occidisse. Eodem anno nova & admiranda stella in Cassiopea apparuit & Papa *Pius V.* mortuus est, de quo hi circumferuntur versus: 1572

Papa pius quintus moritur, res mira tot inter
Pontifices tantùm quinque fuisse pios.

Successor ejus *Gregorius* XIII. Calendarium novum, à se *Gregorianum* dictum, introduxit. *Carolus R.* post graves ac longos dolores decessit An. C. 1574. biennio post diem suppremum obiit Maximilianus 2. pius ac pacificus Imperator, dicere solitus: 1574

gravissimum scelus est Conscientiis velle imperare, id verò est cœli arcem invadere. Aliàs ejus fuit Symbolum: *Dominus providebit.*

4. Habenas capessit imperii *Rudolphus 2.* Patris Successor Anno C. 1576. 1576.
Wilhelmus Auriacus, Belgicæ libertatis Assertor & Vindex fortissimus, Delphis manu sicarii, ab hostibus submissi, cadit Anno C. 1583. Ita & *Henricus 3.* Galliæ Rex à *Jacobo Clemente*, Monacho Dominicano, cultello venenato necatus An. C. 1589. Successor *Henricus 4.* Navarræ Rex, Pontificiam Religionem amplexus, ut Regno potiretur, cum hæreticis æquo mitior videretur, à *Fr. Ravalliaco*, extremæ dementiæ & impietatis homine, in rheda vectus, gemino ad cor illato ictu cultri, itidem interfectus est, Regicida, nullo edito pœnitentiæ signo, inter exquisitissimos cruciatus nefarium spiritum exhalavit Anno C. 1610. Successit 1610.
Ludovicus XIII. puer novennis.

Finem

Finem etiam vitæ finis hujus seculi attulit *Philippo 2.* Hispan. R. infensissimo Evangelicorum hosti, quem Phthiriasi periisse ferunt, *Elisabetha* Angliæ R. cum annos 45. feliciter regnasset, decedit Anno C. 1603. hærede relicto *Jacobo 6.* Scotorum Rege, sub quo Anglia & Scotia conjuncta, Magnæ Britanniæ Regna appellata sunt. Aliquot ante annis Sveci, ob immutata privilegia, Sigismundo Polono Regno excluso, Carolum elegerunt, unde nata Polonos inter & Svecos cruenta bella, sæpius renovata. Carolo huic successit *Gustavus Adolphus* Anno C. 1611. circa hæc tempora *Jac. Arminius*, Theologus Leidensis, qui mortuus est A. C. 1609. dogmata juventuti inculcavit à Schola Calvini aliena, ei se opposuit *Fr.. Gomarus*, unde illius Sectatores *Arminiani* & *Remonstrantes*, hujus *Gomaristæ* & *Contra-Remonstrantes* dicti sunt. *Rudolphus 2.* Imp. decedit An. C. 1612. Ejus Symbolum:

Omnia ex voluntate Dei. Item A.D.S. I.T. *Austriaca Domus Stabit in Throno.*

§. *Matthias* Frater huic succedit
1612. Anno Christi 1612. quo anno Germania in duas partes divisa fuit, *Ligam & Unionem*, *Liga* complectebatur Principes Papisto-Catholicos, *Unio* Evangelicos. Brunsvicum, Urbs ampla, à Duce suo, *Friderico Ulrico*, obsidione, utrique parti gravissima, cingitur, pax inita Anno C. 1616.
1616. Anno sequenti in memoriam restitutæ Lucis Evangelicæ ministerio B. Lutheri ante Seculum, Jubilæus peractus est. Anno C. 1618. altissima ru-
1618 pes Dei absciſſa manu d. 25. Aug. *Pluram*, oppidum in Rhœtia, uno momento ita obruit, ut ictu oculi ad sesquimille homines interirent, ne vestigio quidem oppiduli relicto, insolens etiam cœli jubar, *Cometam* quem vocant, apparuit per dies triginta, tricennalis belli nuncius, cujus origo tumultus fuêre Bohomici:

nam cum Pontificii libertatem Religionis, literis majestaticis confirmatam, multis modis læsissent, injuriis irritati Pragenses *Wilhelmum Schlavvatam*, Jarislaum à Martinitz & *Philippum Platterum*, Secretarium, officiarios Cæsaris apprehensos è summa Arce dedere præcipites, qui tamen incolumi vita discessere. Indignante facinus Cæsare, primum per literas scriptaque publica, deinde armata illud manu Bohemi defenderunt. In his turbis è vita abit *Matthias* Imp. A. C. 1619. cujus Symbolum fuit: *Amat victoria curas*, Sorgen macht siegen. 1618 1619

6. Successori *Ferdinando 2* Primi Nepoti, Bohemi Regnum abrogant Regiumque diadema *Friderico Palatino* offerunt, qui & instinctu conjugis *Elisabethæ*, Britannici Regis filiæ, illud accipit. Cæsar, inito fœdere cum Romano-Catholicis Principibus, milites conscribit & prope

metropolin Regni *Pragam* in *Albo Monte*, *Maximiliano* Bavaro Duce, hostem fundit die Evangelio solenni, quo Cæsari dare jubemur, quæ sunt Cæsaris. Rex novus exul cum conjuge ac liberis in Silesiam abiit, ipsique Feudo Imperiali & dignitate Electorali orbato, frustra renitentibus Germaniæ proceribus, substituitur *Maximilianus*, Bavariæ Dux, qua acerbitate animi Protestantium non parùm exacerbati. In Belgio habita Synodus Dordrechtana adversus Remonstrantes, quibus arma meditantibus, *Barneveldius*, Vir ætate gravis meritisque clarus, capite plectitur & *Hugo Grotius*, magnæ Vir, & doctrinæ, & famæ, ad perpetua damnatur vincula, quibus tamen eundem, inclusum cistæ conjugis fides expedivit A. C. 1622. *Philippus* 3. Hispaniæ Rex à Gregorio XV. pontif. decisionem petiit diu vexatæ quæstionis, *an B. Virgo Maria sine labe peccati concepta nata* sit? Post longas ille tergiversationes

tiones respondit, nondum sibi revelatam esse à Spiritu Sancto categoricam hujus controversiæ decisionem, at Alexander VII. P. paucis abhinc annis eandem quæstionem decidit, & B. Mariam ab omni peccato immunem, manifesto errore, pronunciavit. Sed ut ad Patriam nostram revertamur, cum Cæsariani frequentibus abusi victoriis Protestantium regiones latè popularentur & Jesuitis classicum, more suo, canentibus, Doctrinam orthodoxam passim premerent, & irent extirpatùm, *Gustavus Adolphus*, Sveciæ Rex, Heros magnanimus, Cæsari bellum indicit, interim *Parthenopolis*, vulgò *Magdeburgum* A. C. 1631. die 10. Maji ab exercitu Tilliano vi expugnatur, diripitur & inhumana planè crudelitate, nulla vel ætatis, vel sexus habita ratione, in cives æquè ac milites sævitur, hinc obsidetur Lipsia: nam *Virginem*, ajebat hostis, *se accepisse Magdeburgi, Lipsiam huic debere vestitum*, Witteberga

conse-

consecrationem peragendam & Dresdæ nuptiale convivium esse celebrandum, at Svecus, conjunctis cum Electore Saxone copiis, egregiè Victoris insolentiam repressit, dum ad Lipsiam ferocientes Cæsarianos exercitus feliciter fugavit fuditque d. 7. Se-
1631. ptembr. Ann. C. 1631. *Tillius*, laceras dum colligit copias, Ingolstadii ex vulnere moritur, novoquee exercitui præficitur *Albertus*, Dux Friedlandiæ, quem vulgò vocabant *Wallensteinium*, hinc prope Lützenam oppidum prælium denuò committitur Anno C. 1632. in quo ipse Rex, Libertatis & Religionis Vindex, & acerrimus, & felicissimus, fortissimè pugnans, generosum spiritum in armis ponit victricibus; nam *Bernhardus*, Dux Vinariensis, prælio redintegrato; victoriam reportavit & *Pappenheimius*, notæ Dux Virtutis, suis opem laturus, occubuit. *Wallensteinius*, nimis imperiosus & crudelis, vel proditionis suspectus, vel con-

convictus, mandato Cæsaris, Hagræ unà cum complicibus occiditur, Anno C. 1634. Nordlingensis clades, qua Cæsaris non parum aucta, Svecorum imminuta potentia est, incidit in A. C. 1634. 1634.

7. *Ferdinandus* 2. cum imperio turbis bellisque miserè divexato, lacerato, annos 18. præfuisset, decedit Anno C. 1637. ejus Symbolum fuit: *Legitimè certantibus.* Eodem anno Filius Patri succedit *Ferdinandus* 3. ad pacis, quàm belli studia propensior. Lusitani ab Hispano Rege deficiunt & Regem sibi creant *Johannem* 4. Ducem Bragantiæ Anno C. 1640. *Joh. Armandus, Dux Richelius,* cujus consiliis plurimùm debet Gallia, moritur Anno C. 1642. anno sequenti *Ludovicus Rex* eandem it viam, cui succedit Filius *Ludovicus* 14. quatuor annos circiter natus, hodie qui floret, Galliæ Rex potentissimus. *Uladislaus:* Rex Poloniæ Anno 1645. de conciliandis Sectis, in quas scissa est Ecclesia, 1637.

sia, agitans consilia, colloquium indicit *Thorunii* eò vocatis, præter Romano-Catholicos, Lutheranis & Calvinianis Doctoribus, at cùm Romanenses infallibilem sibi decidendi potestatem arrogarent, successu res caruit, hinc Poeta:

Quid Synodus? Nodus. Patrum chorus *integer?* Æger.
Conventus? Ventus.

In Hermania maximè his annis viguere bella, Svecorum Ducibus *Torstensohnio & Vrangelio*, Cæsarianorum *Gotzio* & *Hatzfeldio*, tandem, animam quasi agente jam Germania, dies illuxit niveo notandus lapillo, quo Cæsarem inter & Confœderatos ex una; Svecos verò & armorum Socio ex altera parte pax inita est
1648 Monasterii in Westphalia A. C. 1648. bello tricennali sopito sepultoque, cùm paulò ante Kônigsmarckius Arcem Pragensem proditore Duce *Odovvalsky*, per insidias cepisset. Papa *Innocentius X.* contra nititur; at frustra

stra. Belgæ etiam ab Hispanis, quam armis jam diu quæsierant, obtinuere libertatem. Paulò post ortæ in Anglia turbæ sunt Regi exitiales, dum urgentibus militiæ Generalibus, *Thoma Fairfaxio & Oliviro Cromvvelio*, *Carolus I. Stuartus*, *die 9. Febr. An. C. 1649.* à duobus Lictoribus personatis palàm ante Palatium Regium securi percussus, & Regia prole proscripta, nova Reipubl. forma introducta est, sub titulo Protectoris, dominante Cromvvellio, at Anno C. 1660. *Carolus* 2. Primi filius, 1660
in Regnum revocatus, reductus est magnificentissimè, & Regicidæ pœnas pependere factis suis dignissimas etiam corpora dudum demortuorum, *Cromvvellii*, *Iretonii*, *Bradshavii* è loculis protracta, & publicè primùm suspensa, infami postea loco sepulta sunt. Vid. Philipp. Cæsii verschmehete / doch wieder erhöhete Majestät. Christina, Regina Sveciæ, A. C. 1655. Regno primùm, pòst Religione abdicata, *Carolo Gustavo*, Comiti

Pala-

Palatino Rheni, Heroi maximè strenuo, Sceptra relinquit. *Ferdinandi 3. Pacifici Imperatoris* obitum universa luxit Germania A. C. 1654. cum Ferdinandus IV. in Regem Romanum electus A. C. 1654 haut multò ante ad plures abiisset. Ferdinandi 3. Symbolum: *Pietate & Justitia.*

8. *Leopoldus I.* unanimi Electoralis collegii suffragio Imp. Rom. de-
1658 claratur Anno C. 1658. cui longævam vitam, felix imperium, pacem, victoriam, uno ore omnes precamur, Symbolum ejus, *Consilio & Industria:* Gallos inter & Hispanos pax initur,
1659 Anno C. 1659. eaque firmatur anno sequenti matrimonio Ludovici XIV. Galliæ Regis cum Philippi IV. Hispaniæ Regis filia, *Maria Theresia*, Ministrissimis Hispaniæ Galliæque, *Don Lovis de Haro & Card. Mazarini* in eo negotio promovendo plurimùm occupatis. *Hafniam* Sveci mense Februario Anno C. 1659. oppugnant, at repelluntur. Fioniam Dani recupe-

cuperant. *Carolus Gustavus*, Sveciæ Rex, relicto unico Filio minorenni, *Carolo XI* nato d. 14. Nov. Anno 1655. moritur mense Februario An. C. 1660. *Monasterium*, Episcopii 1660
sui armis tandem oppressum, præsidia recipere cogitur & imperata facere Anno C. 1661. Turcæ invadunt 1661
Hungariam & munitissimum oppidum Neuhäusel occupant, Anno C. 1663. non multò tamen post Turci- 1663
ca felicitas armis repressa victricibus certisque condicionibus Cæsarem inter & Sultanum pax inita est. *Erphordia* majore vi coacta Moguntino Electori portas patefacit A. C. 1664. An- 1764
no 1667. Regina Portugalliæ à Rege conjuge *Alphonso* sese segregat & Fratri, *Don Pedro* se & Regnum tradit. Alphonsus Anno 1669. in Terceram insulam relegatur. *Candia* Cretæ, nunc Candia quæ dicitur, Metropolis munitissima à Venetis & Fœderatis masculè defensa, post diuturnam, eamque gravissimam obsidio-

nem

nem à Turcis per deditionem capi-
1669 tur A. C. 1669 d. 27. August *Brunsviga*, Sereniſſim. Ducum Brunſv. & Luneburgenſium armis victa domitaque Sereniſſim. Ducis *Rudolphi Auguſti* ſeſe ſubmittit imperio d. 12. Junii An. C. RVDOLpho BrVnsVICVM patet. In Hiſcaniæ Monaſterio *S. Laurentii in Eſcuriali* d. 6 Junii oritur incendium, quo maxima ejus pars cum damno inæſtimabili in cineres redigitur, eo vix quicquam ſplendidius pulchriusque Europa habere creditur. *Duc de Orleans*, *Philippus*, Frater Galliæ Regis, conjugem eligit Electoris Palatini Filiam, *Eliſabetham Charlottam*, quæ in gratiam novi ſponſi Religionem mutat. *Ludovicus XIV.* Rex Galliæ, natus Anno 1638. d. 5. Sept. ex *Anna Maria*, Hiſpan. Regis ſorore, pertres & viginti annos ſterili, Magni Alexandri, quod ajunt, æmulus, quem tantùm non in cœlum invidendis effert laudibus adulantûm facundia, (vid. luculenta oratio

Epiſco-

Episcopi d' Ambrun, Mediomatrici coram Rege in Galliam revertente A. C. 1673. habita,) incredibili bellandi studio ac latiùs regnandi cupiditate incensus atq; inflammatus, res novas molitur, eaque propter ingentes infinito sumtu copias cogit, qua tam inusitata armatura dum vicinia, à novis turbis sibi metuenti, siniſtram movet suspicionem, per legatos ac literas testatur, nulli se quiescenti gravem futurum, tantum Monopoliis Batavorum eversis, intolerandam eorum insolentiam castigatam ad leges Modestiæ revocaturum. In hoc sibi bello socios jungit *Regem Britanniæ*, Batavis ob bella superiora infeliciùs cum his gesta aliasq; offensas insensum, *Electorem* item *Colonienſem & Episcopum Monasterienſem*. Præterea præcipuas Aulas Principum Germaniæ munerum corruptela sibi reddit obnoxias, iisdem persvasurus, ut tam ardua molienti arma manusq; jungant, aut minimùm quiescant, neq; superatos progressus succes-

sus-

susque sufflaminent, *Batavi*, ut nullius gravioris offensæ sibi conscii, dubii diu & incerti, an jugulum suum petitura sit ferocia gallica, tandem certissimi in se suaque viscera ferrum stringi, in arma se colligunt ac seriò, quanquam nimis pœnè serò, de defensione suæ libertatis, atque de auxiliis cogitant, hinc ingenti sumtu comparant exercitus, redimunt fœdera &, undecunque possunt, conquirunt subsidia, præsidia, at Gallus nihil differens, nec dum instructos satis ac paratos ad sustinendam arcendamque vim tot hostium, terra mariq; bellum ferentium, maximo cum exercitu, præsentia sua animato (militum fuisse dicuntur millia 146270.) aggreditur, egressus *Lutetia Parisiorum* d. 1672 27. April. 1672. primoque furore non urbes tantum & castella munitissima, sed totas etiam Provincias debellat expugnatque auro, quæ ferro nequit, in eo non tam Alexandrum, dicere solitum: non furor victoriam,

quàm

quàm Philippum imitatus Macedonem, qui, oraculi svasu, argenteis pugnando hastis Regni sui fines felicissimè amplificavit. Ita brevi temporis spatio ditionis suæ fecit *Orsoy*, *Rheinbergam*, *Vesaliam*, quam quidem cives militesque initiò masculè defenderunt, at muliebri victi clamore & furore turpissimis sese hosti dediderunt conditionibus; occupatis his terris, in quibus tam nefanda Galli patrârunt facinora, ut ea cùm atrocitas, tum pudor memorare prohibeat, Gubernatorem Rex præficit *Mos. d' Estrade*. Hinc proditoris ope *Mombas Betaviam* invadit occupatque, quanquam non sine clade, dum *Duc de Longueville* cum aliis primi ordinis Ducibus in variis pugnis cadit, & ipse *Princeps de Condè* vulnerarur. *Arnheimium* vix unius diei obsidionem sustinet. *Munimentum Schenchii* 50000. vallensibus venditur. *Neomagus* primum impetum fortiter, nec sine laude, excipit,

at

at majorem vim metuens paulò pòst hostili cervices jugo submittit; *Trajectum* verò, Urbs potens & copiosa primo de adventu hostis nuntio territa, portas illicò inde lebili cum probro patefacit, neque dubium fuit, si ipsum *Amstelodamum*, tantis tamque insperatis hostium progressibus mirè turbatum, vi & armis furor regius adortus fuisset, præpotentem ac prædivitem hanc Urbem, quæ & de deditione agitâsse consilia dicitur, & cum ea Hollandiam universam in suam redigisset potestatem, at victoriarum hic cursus stetit, neque insolens Regis felicitas ulteriùs, Deo prohibente, progredi hac quidem vice potuit. Tot cladibus efferati & in furorem quasi acti Amstelodamenses, *Johannem de Witt*, Pensionarium, ejusque Fratrem *Cornelium*, Exconsulem Dordracensem, primariæ viros dignitatis, & auctoritatis, patriæ, opinione sua, Preditores in vincula primùm conjiciunt, pòst è carcere pro-

protractos, Magistratu frustrà renitente, crudelissimè trucidant, trucidatos in frustra discerpunt, laniantque tam dementi furore, ut de cadaveribus super vix fuerit, quod terræ mandaretur. In his turbis & periculis tàm atrocibus *Principi Auriaco*, populo urgente, rerum maximè militarium, summa committitur. Episcopus Monasterienſis *Daventriam*, *Coverdiam*, aliaque loca munita, proditione magis ac panico quodam terrore, qui animos plebis occupaverat, quàm vi armorum superata occupat, *Gröningam* etiam, Frisiæ urbem Principem, arctissima clausam obsidione, totis quidem viribus, at infelici successu, oppugnat, masculè eam defendente *Rabenhauptio* Duce, qui & *Coverden* stratagemate quodam feliciter recuperat d. 5. Jan. anni sequentis. Diem hoc anno supremum obiit *Fridericus Wilhelmus*, Dux Saxoniæ, qua & inopina & præmatura morte Principatus *Coburgensis*

& *Altenburgensis* hæreditario jure ad *Ernestum*, Saxon. Ducem, devolu-
1673. ti sunt. Anno 1673. Margaretha Theresia Leopoldi I. prima Conjux eidemque collocata Ann. 1666. Mense Decembr. Philippi IV. Hispan. Regis Filia, unica relicta Filiola, Viennæ decedit, cujus in locum ducta est Claudia Felicitas, de qua paulò pòst.

Duc de Turenne, Dux veteranus, reique bellicæ peritissimus, Westphaliam cum exercitu invadit, cui cùm *Elector Brandenburgicus* armata manu occurrisset, pace cum eo certis conditionibus inita, (quanquam ea firma minimè diuturnaque fuit,) quæ invaserat, relinquit remigratque. D. 17. Junii *Mastrichium* Gallus obsidet, quantaque potest, vi & furore oppugnat, fortissimè à præsidiis defensum, Duce *Farjaux*, at idem, tàm civium, quàm Virorum sacri ordinis importunis precibus questibusque victus, liberam sibi suis-

suisque discedendi potestatem pactus, Urbem munitissimam dedit d. 2. Julii, non sine grandi gravique damno viciniæ, iuprimis Leodicensium, decem Gallorum millia, & in his bellatores maximè strenui, in hac oppugnatione cecidisse dicuntur. Hiuc *Alsatia* Urbes primarias *Colmariam*, *Schletstadium*, *Hagenoam*, &c. hostis occupat, manifestus pacis turbator, violator, proinde, ut Hispanus paulò ante Gallum hostem declaraverat, & hic illum, Gallis Hispania & Hispanis Gallia emigrare jussis, tandem & *Cæsar*, coactis copiis, & milite in imperio nato, per *literas*, quas vocant *Avocatorias*, revocato, palàm arma socia jungit Batavis, quodexemplum & alii Principes imperii, apud quos quidem plus amor patriæ, quàm Galli favor, promissis pretiove redemtus, valebat, seque bantur, hinc *Bonna* à Cæsarianis,

aliaque loca munita occupantur; Gallus verò unus impar tot hostibus, ultrò, Batavis quæ ademerat, vacuefacta, libertati suæ restituit. *Carolus Æmilius* Princeps Electoralis Brandenburgicus, Argentorati morbo decedit.

Hoc anno *Claudia Felicitas*, Archiducissa Austriæ, quam & *Duc de Jorck* Anglus ambierat, Cæsari collocatur nuptui, eam cum præmatura mors ante diem rapuerit, Poeta quidam non illepido lusit anagrammate:

Uxorem quando duxisti CLAUDIAM, id ipsum
Tunc voluit nomen dicere:
DUC ALIAM.

1674 Anno 1674. *Rex Magnæ Britanniæ*, spe opprimendæ Bataviæ, inprimis Zelandiæ occupandæ, imminuta auctisque belli difficultatibus, urgente Parlamento, ægerrimè ferente Galli potentiam, non sine causa sibi suspectam, sumtu suo ac periculo

culo ali, augeri, firmati, desertis Gallorum partibus, cum Batavis jam respirantibus in gratiam redit partesque eligit Mediatoris, *Rector* etiam *Colonienſis & Epiſcopus Monaſterienſis*, Gallo suas res agere jusso, ad officium redeuntes, gratiam Cæsaris quærunt quæsitamque obtinent *Duci Auriaco*, unanimi præpotentum Statuum consensu, concessa confirmatur Gubernatoris dignitas potestasque ad liberos nepotesque propaganda.

Die 16. Febr. *Wilhelmus de Fürſtenberg*, cujus Frater *Franciſcus Egon*, Episcopus Argentoratensis, pestiferi hujus belli fax & tuba fuisse dicitur, *Coloniæ*, mandato Cæsaris, captus, Bonnam primùm, & inde Viennam paulò post abducitur, in quibus satis diu vinculis hæsit, ingentes etiam pecunias, inter præsidia Gallica distribuendas, quas vinariis vasis per fraudem Galli inclusérant, Cæsariani per vim aufferunt.

Die 1. August. Confœderati cum Gallis cruento confligunt prælio victores, præclarè rem gerentibus *Principe Auriaco* Cæsariano *Duce de Souches*, conscripta etiam Nobilitas, vocant *Arrieban*, in *Lotharingia* victa, cæsa opima præda Victorem locupletat. *Rex Galliæ* Burgundiæ Comitatum *Franche Comté*, cum non esset, qui opem ferret laborantibus, in suam redigit potestatem.

In Polonia Rex constituitur supremus belli Dux, *Sobiesky* post obitum *Michaëlis Wiecnevvicky*, qui successerat *Johann Casimire*, ultrò sese Regno abdicanti d. 16. Sept. An. 1668. & in Gallia mortuo Anno 1672.

Messina, Siciliæ Urbs potens & clara, mense Junio Hispano obvertit cornua eique negat obsequium, tuendæ etiam impar libertati subsidia petit petitaque impetrat â Gallo, gavisо occasionem se nactum esse

esse Hispano nocendi; hinc eo mittit præsidia, Duces, commeatus, classes hodieque totius insulæ subigendæ spe incensus, sumtu vel maximo bellum fovet, at *Messinenses*, variè à Gallis miserèque divexati, serò cum Phrygibus sapientes, magno suo jam malo sentiunt, evitata Charybdi in Scyllam se incidisse Dominumque mutasse, non servitutem.

Sub finem hujus anni *Brisiacum*, validissimum Galli ad Rhenum propugnaculum, à *Confœderatis* & præcipuè *Electore Brandeburgico*, obsidione clauditur non sine spe successus, at *Sveci* Anno 1675. amplissimis Gal- 1675
lorum pollicitationibus & pecuniis inducti, *Wrangelio* quidem bellum, ut perhibent, disvadente, at, svadente *Magno de la Garde*, Magno Regni Cancellario atque ita primario Aulæ ministro, Electorales Provincias hostili cum exercitu inopinatò invadunt, quæ possunt, occupant,

diripiunt, incitatore belli legato Gallio, *Duc de Vitry*, quas tam atroces injurias vindicaturus, terras suas *Elector*, opinione citius, cum armata manu mense Junio repetit, hostem, nec opinantem, non tam copiarum multitudine, quàm causæ suæ bonitate fretus, cum priùs *Ratenaviam*, Svecis oppressis præsidiis, occupasset ad oppidum *Fehrbellin* incredibili virtute adoritur, profligat victorque, copiis insuper cæsarianis, Duce *Coppio*, adductis confirmatus, *Pomeraniam* invadit ejusque majorem partem subigit. *Hollandis* inusitata aquarum inundatio inæstimabile infert damnum, aquis aliquot hominum pecorumque millibus mersis.

Dux Slesvvicensis, *Christianus Albertus*, à Rege Dano ditionibus suis ejicitur. Ejusquo primarius Minister *Johann. Adolphus Kielmannus* Hafniæ in liberam custodiam traditur, in qua etiam non multò post decessit.

decessit. *Duc de Turenne*, Regi suo, ob navatam in hoc bello operam cum fide & successu, longè clarissimus, infeliciter mense Julio cum *Montecuculi* congressus, de pugna redintegranda dum cogitat, ictu globi majoris, è catapulta missi, percussus cadit, cadit & *Johann de Ruyter*, supremus Batavæ classis Præfectus, victoriis rebusque mari gestis clarissimus, quem cum *Montesarchio*, & classe confligentem Gallica, ad Siciliam, mense Decembri, purpurea mors mortalitate exuit, utriusque memoriam, & Rex & Batavus ab oblivione magnifica sepultura it vindicatum; Rex quidem disertè tam luctuosam dixit geminæ jacturam victoriæ sibi futuram non fuisse, quàm fuerat nuntius de acerbissima *Ducis de Turenne* morte.

Augusto mense *Augusta Trevirorum*, quam Galli, *Electore*, constantissimè Cæsariat hærente, sede

sua cædere coacto, occupaverant; à Confœderatis obsessa recuperatur, Gallicis copiis, à *Duce de Crequi* in subsidium adductis, justo prælio victis fugatisque, ipso etiam Duce, Urbe dedita, dedito captoque Turca, cum Anno 1673. Podoliæ caput *Camieniec Podolsky*. Regni quasi clavem & propugnaculum, natura & arte sic munitum, ut humana vi vix expugnabile, hostiles antehac impetus riserit, malè defensum occupasset, hoc anno denuò crudelissimè sævit in Polonia, *Tartaro* suam ipsi operam in hoc negotio locante libentissimè.

Octobri mense *Duces Brunsvicenses & Episcopus Monasterienſis* Ducatus, Bremensem & Verdensem, Svecis vi ejectis pulsusque, quippe hostibus ab imperio judicatis atque ex imperii matricula deletis occupant; etiam *Daniæ Rex*, Svecorum re & fortuna inclinata, occasioni non deest recuperandi, quæ superiori bel-

lo

lo Anno 1658. Sveci ipsi extorserant, hinc socium se addit Svecorum hostibus & *Wismariam* obsidet obsessamque per deditionem capit d. 13. Decembr. diluvies nova denuò Hollandiam ingenti malo damnoque mactat.

Anno 1676. *Leopoldus I. Imp.* ter- 1676
tias celebrat nuptias cum Principe Neoburgica, cui Poeta quidam hoc carmine divinatorio gratulatus est:

Velle Palatinam viduata Palatia Sponsam,
Vox populi, vox hæc sit, *Leopolde*, Dei.
Ter bona, ter fœcunda domo septemque ter annis
Notaque Nominibus tertia Sponsa tribus.
Tres, Regnis tribus, hæredes dabit illa, quod Ipsa
Nata Trium Regum sit Leonora die.

Gallus,

Gallus, hostium parte novis implicata bellis, liberiora tollit cornua & bellum acerrimè prosequitur, subactasque provincias, inprimis Alsatiam, planè Turcico more, oppidis pagisque longè latèque incensis, miserrimè vastat, infami tam nefandâ sævitiâ incendiario, *La Brosse*. Ita *Ratio status* Humanitatem & clementiam, & Misericordiam, Virtutes Christianissimo Principe dignissimas, omninò extingvit tollitque. Ita, Regibus delirantibus, plectuntur Achivi & impotens illa dominandi cupiditas unius hominis tot urbes agrosque ad ultimam inopiam miseriamque redigit. Rem indignam! rem miseram & acerbam! *Hungarici tumultus* fervent vigentque maximè; nam postea quam liberum illud Religionis, tam Evangelicæ, quàm Reformatæ exercitium, laudabili Cæsarum clementia vel indultum, vel toleratum, ab aliquot annis imminutum tandemque

que plurimis locis planè sublatum est, Sacerdotibus & Scholarum Magistris, alterutri addictis Religioni, exulare jussis, in carcerem conjectis, ad vincula damnatis nautica, illiberaliter certè atque immisericorditer tractatis, patientia in furorem versa, nonnulli *Status*, tam acerbæ jugo servitutis excusso, arma cepere, libertatem conscientiæ & Religionis, vel vita sibi chariorem, armata manu tuituri, & hi sunt, quos *Rebelles* alii, alii *Malcontenten* appellitant eaque turbarum flamma nec dum sopita extincta que est, Rege Galliæ transmissis pecuniis eam, quod perhibent, fovente, ut & hac via potentiam *Aquilæ*, gravem sibi, minuat atque à se suoque jugulo avertat. *Danus*, Batava adjutus classe, Duce *Trompio* per mare Balthicum victor Svecorum coercet atteritque potentiam, victricia etiam per Scaniam arma circumfert, cui cum Professor quidam Academiæ

demiæ Lundensis hoc versu esset gratulatus: Sic redit ad Dominum, quod fuit ante suum, infelicis venæ calamique errorem capite luit, Svecorum imperio, ultimo publicè supplicu nuper affectus, *Malmogiam* tamen, acerrimè quidem, at frustrà Danus, prælio Svecis victoribus, oppugnavit. *Johann d' Austria*, Ministrissimus Aulæ Hispanicæ *Carolo* Regi, decimo quinto ætatis anno, ex Testamento paterno jam Regimen auspicanti, reconciliatus, cedente Matre Regia, primariæ Ministros Dignitatis dignitate exuit, & *Infans Hispaniæ* declaratur. Hoc anno *Petrus* Schumacher / cognomine Greiffenfeld / alter Sejanus, à Dano Rege ad amplissimos dignitatis gradus evectus diuque apud Eundem gratiosissimus, gratia Regia subitò effusa, ob crimen, ut putatur, proditionis & colusionis cum hoste, in ergastulum detruditur mortisque damnatus, à Rege quidem vita do-

na-

natur; at omnibus exutus honoribus opibusque perpetuis mancipatur vinculis, exemplo futurus ac documento posteritati, quàm fragili stet talo potentum gratia quæque maneant fata rem fide non bona gerentes. *Udenhaim*, vulgò Philipsburg / cujus præsidia gallica viciniæ hactenus damni plurimùm intulerant, à Confœderatis obsidetur, obsessis vim vi maxima repellentibus, tandemque, facta deditione, in oppugnantium venit potestatem, in qua obsidione globo majore cervices trajectus *Agustus Fridericus*, D. B. & L. Sereniss. Pr. & Lün. Ducis ac Domini, *Dn. Antonii Ulrici*, Filius primogenitus, Princeps magnæ Virtutis maximæque spei & expectationis cum acerbissimo Suorum luctu lumina claudit. *Neomagi* bellantium Legati partium conveniunt, de restinguendo bellorum incendio ac pace reducenda deli-

be-

beraturi, quibus tam salutaribus consiliis ut belli pacisque arbiter, DEUS, benedicat eaque optatos ducat ad exitus, tot provinciæ sub bellica mole suspirantes vovent expetuntque.

Turcæ Tartarique Moscoviæ fines
1677 attingunt, invadunt, quos licèt ad urbem *Zechrin* Russi ingenti prælio victores feliciter repulerint, nullum tamen est dubium, quin, firmata cum Polono pace, hostis, & insolens, & potens de accepta hac clade vindicanda sit cogitaturus bellumque renovaturus.

Bona pars *Rigæ*, quæ *Livoniæ* est Metropolis, flamma tectis subjecta ab incendiariis, quorum & nonnulli comprehensi dignas factis pependere pœnas, incineres redigitur, quæ calamitas & *Oldenburgum*, & nuper *Rostochium* d. 15. August. gravissimè afflixit. *Cometa* in Germania comparet sub Andromeda à plaga meridionali in septentrionalem per-

pergens, per XXI. dies stetisse dicitur, quid mali eundem consecuturum sit: nam veteri versu, nunquam cœlo spectati impunè cometæ; novit, qui novit omnia.

Princeps Auriacus, suis cum Hispanicis conjunctis copiis, *Charleroy* obsidet, obsidionem verò præter spem, nulla graviore, ut fertur, necessitate coactus solvit, non sine offensa Confœderatorum. Idem nuper admodum matrimonio sibi junxit *Jacobi*, *Duc de Jorck*, Britannici Regis Fratris Filiam natu maximam, quibus nuptiis *Londini* magnifico verèque basilico apparatu celebratis, è Britannia Reducem cum nova Nupta Batavi *Hagæ Comitis* magnificentissimè exceperunt, quod Conjugium Batavorum esse aucturum commoda, & pacis negotium promoturum plerique speraant, omnes optant, nonnulli dubitant.

Steti

Stetinum, Urbs Pomeraniæ munitissima, ab Electore Brandenburgico unà cum sociis copiis vi sumtuque maximo acerrimè oppugnatur, èx verò se suaque insolenti ac pœnè inaudita tuetur Virtute, nihil ballistarum tonitrua aut tectorum incendia morata, at his ipsis diebus, quibus hæc scribimus, videl. d. 16. decembr. frustra subsidiis è Livonia expectatis, potentissimo Electori, vel in ultima desperatione, obsessis tolerabiles deditionis conditiones non neganti, liberas submittit cervices, masculæ laude virtutis rerum suarum non levi quæsita jactura; hanc Imperantium mutationem prævidisse & prædixisse ferunt Scabinum, Rectorem sub inita hujus seculi Scholæ Stetinensis, cui hoc eteostichon tribuitur:

DefVnCtIs PatrIbVs, BorcaLIs
habebIs habenas,

QVa

QVas ta Men er Ip Iet postea Brenno tVIs.

Per Patres intelliguntur ultimi Pomeraniæ Duces.

Jam & *Stralsundiâ* & *Grypswaldiâ*, victrici subactis manu, in Pomerania Sveco, pedem ubi tutò ponat, vix supererit. Arctoa hæc Regna amica brevi summèque salutaris ut Irene revisat, omnium, qui orthodoxæ sunt fidei, & vox, & votum est. quid enim?

Nulla salus bello, Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est,
Pax una triumphis
Innumeris potior.

Jam & *Italia*. præcipuè ea, quæ Hispanicæ est ditionis, Gallicas reformidans irruptiones, de cogendo cogitat milite &, proximo ardente Ucalegonte, saluti suæ suæque

que libertati timet. Anno M. DC. LXXVII. Galliæ Rex, occupatio *Mompelgardo*, *Crequium* & *Monclasium* Duces ad castella arcesque diruendas in Alsatiam mittit, Rheni accolis gravis hostis, cujus quidem progressus Dux Isenacensis, *Joh. Georgius*, sufflaminare summa vi nititur, at majore vi cedere coactus, voto minùs efficit. In Belgio Hispanico Gallus *Valentiam*, *S. Omeram* aliaque loca occupat, etiam *Friburgum* in Brisgovia Urbis Præfecto, *Schützio*, pecuniâ gallicâ, ut perhibent, corrupto, Duce *Crequio*, per deditionem capit.

In Septrentione Danus *Christianstadium* obsidione, qua à Svecis premebatur, liberat & *Malmogiam* magno conatu oppugnat, at irrito, victore Sveco.

Cardinalis *Benedictus Odeschalchi*, cui viam ad hanc dignitatem struxerat Domina *Olympia*, potens quondam in Aula papali Hera, *Clementi X.* in Papatu d. 21. Sept. succedit, assumto nomine

Inno-

Innocentii XI. is de Ecclesiæ Romanæ moribus emendandis deque Nepotismo, Apostolicæ Cameræ gravi, abrogando cogitat, non sine offensâ quorundam Patrum, voluptati vitæque luxuriosæ plus æquo tribuentium.

Anno M. DC. LXXVIII. *Carolus*, Dux Lotharingiæ cum Sorore Cæsaris, relictâ Regis Poloni Viduâ, nuptias celebrat, hinc Cæsariani Dux Exercitus in Alsatiam descendens, successus quidem armorum Gallicorum remoratur, nihilo tamen minùs *Dux de Monclas*, fortalitium Argentoratensium ad Rhenum demolitur &, Arce Lichtenburgensi expugnatâ, acerba vicinis tributa imperat, in Belgio etiam *Gandavum* & *Ypræ* gallica vi subiguntur.

In Anglia Papicolarum conspiratio contra Regem detegitur, omnibus ea propter Pontificiis *Londino* excedere jussis

Dani *Rugiam* Ins. per Comitem *Königsmarckium* recuperant, at eandem amit-

amittunt denuò pòst non multò cum tota Pomerania, iidem Castello *Helsinburgo* capto, latè omnia vastant, *Bahus* verò frustrà obsident.

Hungaria suspirat cum peste pariter ac bello conflictata & *Malecontenti*, Duce Comite *Töckelio*, Libertatis & Religionis Vindice non instrenuo, quæ possunt, debellant, illatas sibi injurias armata manu vindicantes.

Messinenses in Sicilia impotentem Gallorum dominationem pertæsi, ab his etiam deserti, imperio sese Hispanico denuù submittunt.

Anno M. DC. LXXIX. Pax Gallos inter & Hispanos condita *Neomagi* publicatur, paulò post & Imperator cum Gallis & Svecis juxta formulam Monasterienſis pacis paciscitur quod exemplum & alii Fœderati sequuntur; *Lotharingiæ* verò *Dux* Ducatu suo carere mavult, quàm in conditiones pacis à Gallo præscriptas consentire, *Daniæ* etiam *Rex* & *Elector Brandenburgicus*

burgicus pacem factam modis omnibus improbant, at majoris belli malique metu & ipsi coguntur tandem oblatam pacem accipere & ademta Svecis restituere.

Danicam pacem *Carolus XI.* Rex Sveciæ, nuptiis cum Sorore Regis Daniæ, *Ulrica Eleonora*, anno insequente die 15. Maji celebratis, confirmat. Reformatis in Gallia, *Hugnottos* quos vocant, ea pax minus læta est, dum passum Templa eorum destruuntur scholisque clausis liberi sextum annum supergressi Sacerdotibus & Jesuitis traduntur, in Pontificia Religione informandi, unde quàm plurimi in Angliam & Hollandiam discedunt, bonorum jacturam minoris, quàm fidei æstimantes. *Helvetios* Rex Galliæ inclusurus, fortalitium *Hüninga*; *Basileæ* vicinum, extrui jubet & severè inquiri in veneficas & veneficia inventa ab Abbate quodam & nobilibus fœminis, quibus hæc scelera lætâ citaq; morte impunè, quas voluere, interemere. R. H. impulsu ducis

Joh.

Joh de Austria, hoc anno qui fatis concessit, Filiam Aurelianensis Ducis matrimonio sibi jungit, repudiatâ (Cæsaris Filiâ, cujus antè nuptias ambierat.

In Anglia novæ Conspirationes detegunt, & novum edictum contra Pontificios, imprimis Jesuitas, promulgatur, hinc plebis odia fugiens *Frater Regis, Dux Eboracensis*, pontificiam nuper Religionem amplexus, in Bataviam abit agiturque de eo à futura Regni successione excludendo, multis inclinantibus in Ducem *Mommuthium*, naturalem Regis Filium: Lue pestilentiæ ex Hungaria per Monachum quendam *Viennam* transportatâ, Imperator cum Aulæ Proceribus *Pragam* quidem concedit, verùm & hanc anno sequenti eadem lues invadit, & inde in Misniam transit.

Anno M.D.CLXXX. Galli Neomagiensem pacem multis modis violantes, in *Alsatia*, *Palatinatu* & *Trevirensi Episcopatu* arces munitas pro lubitu occupant, demoliuntur, nescio quas

Depen-

Dependentias & *Reuniones* commenti. Contagioso malo *Dresdam* infestante, Elector Saxoniæ *Johann Georgius II.* Freibergam concedit ibidemque diuturno morbo confectus, ætatis anno LXVII. die 22. Aug. placidissimè obdormiscit, Princeps studio pacis, pietatis & munificentiæ inclytus, cùm *Augustus* Frater, ArchiEpiscopatus Magdeburgensis Administrator, paulò antè die 4. Junii ætatis anno XVI. mortalitatem expleviſſet. Archi Episcopatus in Ducatum mutatus *Electori Brandenburgico* cessit.

Johanni Friderico Duci Br. & Lûnæb. Augustæ Vindelicorum in itinere, Venetias suscepto, apoplexiâ, ut putarunt, mortud, Frater succedit *Ernestus Augustus*, Episcopus Osnabrugensis, qui Sacrificulos & Monachos Pontificios Hannoverâ illico emigrare jubet.

Matrimonium *Delphini* (sic appellatur Galliæ *Regis* Filius natu maximus & Successor futurus) cum Ele-

ctoris Bavarici Filia magnâ pompâ confirmatur Sponsamque Rex ipse cum Sponso magnificentissimè excipit. Idem Rex impulsu Jesuitarum & Sacerdotum *Lutetiam* vonvocat Episcopos cum iis acturus de reformata religione in Gallia extirpanda.

Rex Hispanus d. 13. Juuii adventantem è Gallia Sponsam, *Mariam Loviſiam de Bourbon*, regiâ pompâ excipit, *Elector verò Brandenburgicus*, propter subsidia sibi negata non procul Ostendâ navem Hispanicam excipi & Regiomontum deduci jubet, debitam hâc viâ solutionem exorturus.

Russis cum Turcis propter *Ukrainam* bellum gerentibus, Tartari in Russiam irruentes, igne & ferro grassantur latissimè, & aliquot Russorum millia in miserrimam servitutem abducunt. *Polonos* etiam & *Turcas* inter ortis dissidiis de finibus Podoliæ, illi à Turcico sibi bello metuunt & *Malecontentis*, æquis pacis conditionibus desperatis, inducias factas abrumpunt,

quin

quin & Italis crescens indies Galli potentia suspecta est, maximè *Casala* eidem à *Duce Mantuano* venditâ.

Die 17. Decembr. inusitatæ magnitudinis *Cometa* apparet, supra horizontem nostrum visus ad 7. usque diem Februarii anni sequentis, quo de quæ extant observationes & judicia doctissimorum Virorum nulli non nota.

Anno M. DC. LXXXI. Gallo arepta loca, contra pacem *Neomagiensem* restituere dataque damna resarcire recusante, *Francofurti* Conventus instituitur ad componendas has controversias, interim Rex *Argentoratum*, armis vix ostentatis, mense Septembri per deditionem capit, causam, quamobrem *Argentoratenses* tam promptè Gallico jugo se submiserunt, *Poëta anonymus* hanc reddidit:

Argentanginâ, eredo, *Argentina* laboras,
Accipis argentum, vinceris atque taces,

Ut reor, ipsa doles, tum, quod tormenta dedere
Nullum explosa sonum, ut mœnia danda solent:
Heu labem! Rhenus quam non satis abluit amnis
Ipsam te perdis, perdis & Imperium.

Fasta hac deditione, summum Templum statim à Sacrificulis occupatur rituque pontificio ab *Episcopo Fürstenbergio* consecratur.

In Anglia plures subinde conspirationis rei manifestantur, & inter hos Comes *Staffortensis*, qui capite plectitur. *Parlamentum* à Rege convocatum *Ducem Eboracensem* à Regni successione excludendum esse censet; superiore autem Parlamento dissidentere infecta, dissolvitur.

